


# WENCESLAI TRNKA

DE KR'ZOWITZ

S. R. I. EQUITIS, MED. DOCT. IN  
UNIV. REGIA BUDENSI ANATOM. PROF.  
PUBL. ORDIN.

DE

# DIABETE COMMENTARIUS.



02 JUL 2004

VINDOBONÆ

Prostat apud AUG. BERNARDI 1778.

I L L U S T R I

V I R O

ERNESTO GODOF.

BALDINGERO

PHILOS. AC MEDIC. DOCTORI IN REG.

UNIVERSIT. GOTTING. PRAX. MED.

PROF. P. O.

REG. SOC. GERM. GOTTING. ACAD. ELECT. MOGUNT.

ET PRINC. IENENS. SCIENTIAR. MEMBRO,

E. C.

LUCUBRATIONES SUAS  
DE DIABETE

EX

VETERUM NOSTRIQUE ÆVI MONUMEN-  
TIS MEDICIS ERUTAS DIGESTASQUE



D. D. D.

A U C T O R.

# COMMENTARIUM

DE DIABETE

P A R S I.

DE NATURA VARIETATE ET CAUSIS  
DIABETIS.



## C A P U T I.

DEFINITIO AC VARIA GENERA DIABETIS.

§. I.

**D**IABETES ( διαβήτης ἀπὸ τῆ διαβαίνειν a trajiciendo, transeundo ) nusquam, quod sciam, rite definitus ita, ut cuilibet ejus speciei definitio aptari posset, *est vel potus non mutati, vel chyli aut lactis cum urina misti, vel laticis limpidi aquosi potum copia insigniter excedentis per vias urinales excretio.*

§. 2.

GENERA autem diabetis tamen complura statui possunt, puta 1<sup>mo</sup>) *a causa*, unde diabetes vel protopathicus seu idiopathicus, i. e. qui citra alium praesentem praegressumve morbum, ad quem referri velut effectus posset, e solo sex rerum non naturalium usu

procedit *a*), vel deuteropathicus seu symptomaticus, i. e. qui ab alio oritur morbo *b*); 2<sup>do</sup>) *a genesi* seu modo, quo enascitur, lento nimirum aut celeri pede; unde ipse quoque diabetes lentus aut subitus *c*) dicendus; 3<sup>io</sup>) *a concursu*, dum sc. a data causa, vel solus diabetes cooritur, vel & alius simul morbus, v. g. incontinentia urinæ *d*), aut ischuria *e*), aut cœliaca passio *f*), &c. quo in casu diabetes vel<sup>r</sup> purus vel complicatus recte diceretur: nos tamen generalibus his missis, utpote ad quosvis alios morbos perinde pertinentibus, ea tantum genera diabetes proferemus, quæ *a varietate excreti* prius dicti pendent, quæ spectatis vel *verus* vel *spurius* audit.

### §. 3.

A) *Verus diabetes* est vel potus non mutati, vel chyli lactisve misti urinæ, mictio. Ac rursus.

I. *Lienteria urinalis*, quæ est, verbis OOST. DYK SCHACHTII *g*) „ celerrima „ & copiosissima potus adsumpti nec mutati „ per renes & vesicam excretio „. Lienteriæ

no-

a) Vide eas §§. 16. 17. 22. 24. 27. 3).

b) Vide §§. 18. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 27. b. c. 28.

c) Vide §. 6.

d) Vide §. 7. n. 1. 2)

e) Vide Histoz. 5. n. 1.

f) Vide §. 15. n. 13.

g) Instir. med. pract. 5. II. L. 8. C. 6. §. 2.

nomen dubio procul inde esse videtur profectum, quod malum hoc GALENUS a) lientericæ, in qua alimenta aut vix aut nil mutata e primis viis ano exiguntur, affine esse dixerit, quod idem potui in hocce diabete per vias urinales accidit trajicienti, ut e definitionis verbis colligitur. Interea affectio hæc adeo rara est, ut multi dubitent, fueritne unquam a quoquam vera fide visa b). BOERHAAVE c) sane non aliam diabetes veri, nisi chylosi (de quo paulo post), speciem admisisse videtur, cum de nulla alia vel verbo meminerit: nec etiam, si detur, facile est assequi, qua ratione potus in vasa delatus, perque illa cum humoribus circumactus, nullam, usque dum rursus in renibus secretus fuerit, mutationem odoris, saporis, colorisque patiatur, idque celerius multo, quam cognitæ circulationis leges admittere posse videantur. Quid igitur clarissimis Viris facias, qui hancce diabetes speciem ab se visam fuisse retulerunt? GALENUS d) enim, etsi rarissimum esse morbum hunc fateatur, bis tamen ab se visum fuisse ait, vir cetera, etsi Asiaticorum more jactabundus, at nequaquam sublestæ fidei. Perinde potum nihil omnino mutatum per urinæ

A 2

vias

a) De crisi. L. 1. C. 12.

c) Instit. medic. §. 124.

b) OOSTERDYNSCH. 1. 6.

d) De loc. affect. L. 6.

§. 4.

C. 1.

vias rediisse testantur AMATUS *a*), HILDANUS *b*), ZACUTUS *c*), SALMUTH *d*), BLEGNY *e*), SCHMID *f*), &c. & BARTHO-  
 LINUS *g*) „ narravit nobis ( ait ) Patavii  
 „ B. SILVATICUS... vidisse se mejentem vi-  
 „ num rubrum eo colore & odore, quo  
 fuerat haustum „. Dicet quis hæc fallere pos-  
 se, nisi & præter colorem odoremque sapor  
 simul potus assumpti percipiatur? En TRIN-  
 CAVELLII *b*) casum! „ nobilissimus frater  
 „ R. Cardinalis PISANI... cum febre labo-  
 „ raret, & ea satis maligna, atque sitis,  
 „ quæ neque etiam multa erat, esset impa-  
 „ tiens, bibere volebat, nisi gelida fere  
 „ esset aqua & reliqua, quibus in potu ute-  
 „ batur; quæ quidem jubebat in puteis de-  
 „ missa urceis perpetuo servari. Unde ad  
 „ eam imbecillitatem renes devenere, ut po-  
 „ tus omnino immutatus redderetur, servans  
 „ eundem colorem, consistentiam, saporem-  
 „ que, & odorem. Utebatur autem primum  
 „ propter febrem juleb rosaceo diluto ex  
 „ aqua, & urina, quæ paulo post a potu  
 „ mingebatur, eadem omnino videbatur,  
 „ quæ prius erat in cyatho, antequam bi-  
 „ beretur, eundemque referebat colorem  
 „ aspi-

*a*) Vide §. 17. *a*) *d*)

*b*) Vide §. 17. *b*)

*c*) Vide §. 71.

*d*) Vide §. 23.

*e*) Vide §. 53. 2.

*f*) Vide §. 17. *d*)

*g*) *Histor. anatom. rar.*  
*Cent. 1, hist. 69.*

*b*) *De rat. cur. part. H. C.*  
*affect. L. 10. C. 11.*

„ aspicientibus , & odorem olfacientibus ;  
 „ sed & quidam , qui illi ministrabant , gu-  
 „ stare voluere , qui affirmarunt , neque in  
 „ sapore ullam factam immutationem. Ne-  
 „ que hic vehemensissima siti urgebatur ,  
 „ quamvis & ipse sitiret , neque oris tanta  
 „ ariditate. . . . neque in præcordiis ullum  
 „ æstum percipiebat , qui tamen ex eo mor-  
 „ bo interiit „ . Hujus observationis veritatem  
 inficiaturo nihil est reliquum , quam ut  
 dicat , ab ægro in fraudem Medici omnem me-  
 dicatum potum e cyatho recta in matulam  
 fuisse ( ut subinde fieri assolet ) transfusum ,  
 verique esse simile , idem in ceteris quoque id  
 genus casibus accidisse , quippe quod ipsa eo-  
 rum infrequentia suadere videatur. Verum  
 enim vero id quemadmodum dicere pronum  
 est , ita universim evincere arduum , præsertim  
 in nobili illa Lucensi virgine 25 annos nata  
 apud B. SILVATICUM a) , quæ citra ullam  
 ægritudinem sub tempus mensium , fluenti-  
 busque hæmorrhoidibus , non semel sed sæ-  
 pius , post dolores aliquos prægressos , reddi-  
 dit urinam potui cum colore tum odore si-  
 milem. Potus vero non fuit medicatus ,  
 quem averfata fuisset , sed sibi familiaris , ni-  
 mirum aut vinum aut aqua : simulque urina  
 potum usque adeo æmulabatur , ut post aquam  
 haustam aquosa , rubra post vinum rubrum ,

---

 a) Conf. & Resp. medic. Cent. 3. conf. 42.



post album alba conspiceretur. Interea tamen si haecenus dictis casibus aut doli quidquam aut credulitatis obijci posset, certe nihil horum in I. M. BACHETONI a) viri gravissimi juxta ac exercitatissimi sua ætate Lithotomi casu locum habere potest, ut qui non fando rem acceperit, nec fucum sibi fieri ab ægrota passus sit, sed ipse præsens aderat, manuque sua urinam ope catheteris e vesica eduxerat. Vocatus nempe est Novembri mense anni 1743 ad puellam 16 fere annorum, sanguineam, e febre acuta biliosa cum vehementissima cephalalgia decumbentem, cui nihil proficientibus remediis morbus quotidie increscens delirium attulit. Urinæ triduo substiteret nulla re ciendæ. Novembris 5<sup>a</sup> vesperi urinæ ℥.ix. cathetere eductæ sunt, postero mane pene tantundem, & vespere ejusdem diei paulo minus, minus quoque mane diei 7<sup>m</sup> emissum, ut vix ℥.j. excesserit. Eodem autem die sub vesperam indito a BACHETONO cathetere (sponte enim urina non amplius fluxit) oleum prodiit amygdalarum dulcium verissimum, purissimumque, quod cum produere desiisset, urina secuta est limpidißima fere ad ℥.x. Insequenti etiam mane, cum Auctor urinam educeret, præcessit olei nonnihil. Oleum insolens miratus BACHETONUS ro-

ga-

a) Comment. Sc. & art. Acad. BOGON. Tom. 2. P. 1. p. 218.

gavit, quid adolescentulæ datum esset? cumque intellexisset, vespere diei tertii  $\text{℥} \text{iv}$ . amygdalarum dulcium eam sumpsisse oleum, mirari jam desit; non enim dubitavit, quin, quidquid olei per urinæ vias eductum esset, id ipsum esset, quod tribus ante diebus puella sumpserat. Ac licet oleum a virgine excretum octo granis a pondere  $\text{℥} \text{ij}$ . abfuerit, proindeque multo minus, quam quod sumpserat, esset eductum; facile credidit, sumptum oleum, cum corpus pererrasset, non omne per urinæ vias exiisse, quin & plus forsân etiam exiisse, quam quod in lance positum est: cum enim in educenda urina observatum bis fuerit, potuit alias quotidie exivisse non observatum, idque ipsum, quod observatum est, partim forte adhæsit vasi, quo exceptum fuerat, partim urinam secutum est, ut non totum lanci imponi potuerit. Ex his itaque liquet, non tam de phænomeni veritate, quam vera potius ejusdem explicatione, laborandum esse. Nullatenus vero ad hanc diabetis spectem observatio T. BARTHOLINI a) est, ut ipse quidem censuit, referenda de sene 68 annorum, qui ob marasmum senilem emulsis & consummatis usus, testabatur. . . statim post, sumptum consummatum copiosam urinam, reddi eodem odore tinctam, quo fuerant

A 4

„ assum-

a) I. c. Cent. 5. hist. 30.

„ assumpta „: nam id citra diabetem quoque evenire notum est, nisi forte e celeritate mictionis ad potum & odore urinæ assumpta referente incipientem lenteriam urinalem fuisse quis autumat. Multo vero minus hujus loci sunt, licet huc eas ex HILDANO *a)* aliisque retulerit ETTMÜLLERUS *b)*, urinæ, in quibus semina integra, ut assumpta erant, aliaque edulia reperta sunt: hujus enim phænomeni longe alia est tum ratio tum via, quam in lenteria urinalem. Atque hæc de prima diabetis veri specie. Altera est

2. *Diabetes chylosus* vel *lacteus*, qui BOERHAAVIO *c)* est „ urinæ chylosæ vel „ lacteæ frequens & copiosa trajectio „. Unde patet, isthanc diabetis speciem esse cœliacæ passioni haud secus, ac prior illa lenterię similis erat, perquam affinem, quapropter etiam ei ETTMÜLLERUS *d)* *cœliacæ urinalem* nomen imposuit, ineptum licet: F. C. STOELLERO *e)* *Chyluricæ* aut *Chalacturicæ* vocabulum præplacuit, qui haud immerito simul systematicos pathologos acriter perstringit, quod nec nomen nec locum nec characterem morbo huic genuinum attulerint, ut ejus in opusculo non sine voluptate videre est. Ceterum rarus admodum est

hic-

*a)* Obs. med. chir. Cent.

5. Obs. 51.

*b)* Colleg. Pract. Scd. 19.

C. 1. Art. 3.

*e)* l. c.

*d)* l. c.

*e)* Beobacht. und Erfahr. aus der . . . Heilkunst, Schol. ad Obs. 1.

hicce affectus, ac multo forte, quam ipsa hienteria urinalis, rarior, si ab analogis urinis urina chylosa sollicita, ut in diagnosi *a*) dicetur fusius, discernatur; paucis profecto, quod eum vere observarint, gloriari licet. C. HOFFMANNUS *b*) in se ipso morbum hunc est expertus, qui post fatigiosum corporis motum domum redux, torpidus, ubi lentam ac lardi pertranseuntis sensum imprimentem pituitam vomuisset, urinamque paucillam singulis pene horæ quadrantibus excrevisset, *lac minxisti* (inquit uxor) *hæc nocte*. Miratus rem HOFFMANNI medicus cum urinam esse non crederet, *quam vere hic* (ait æger) *jaceo, tam vere hæc minxi*. Apud TIMÆUM *c*) gubernator Calmaria ultra biennium urinas minxit lacteas, quæ post aliquam in matula moram pulvem albam tanta deponebant copia, ut dimidium matulæ plerumque repletet. Inter mejendum ardor aderat dolorque, præsertim sub finem, fætor autem in urinis nullus, nec pinguedo aut ramenta, aliudve. Roborantium dein usu æger prorsus convaluit. Similem quoque urinam in quadragenario observarunt Medici Vratislavienses *d*), in alio ejusdem ætatis STOELLER *e*), in muliere H. I.

A 5

C9-

*a*) Vide §§. 46. 47.

*b*) Epist. ad RHEINPSIUM.

*c*) Casuum medic. L. 3. casu  
43.

*d*) Histor. morbor. Vratisl. A. 1700. p. m.  
201.

*e*) J. c. Obs. 1. (vide §. 63.)

COHAUSEN *a*), ac oppido pauci alii: apud veteres sane diabetis hujus ne vestigium quidem reperitur. Ad hujus diabetis indolem quam proxime accedit BOERHAAVII *b*) observatio sequens: „erat mulier Nordracena, „quæ 12 continuis annis continuo peperit „& lactavit: incidit ultimo in diabetem lacteum, ut quidquid nutrimenti adsumpsisset, id omne per mammæ absque ulla „suctione lactis specie prodiret, atque si „libram biberat cerevisiæ, fere libram lactis per mammæ redderet, morbo fastidiosissimo, quo post 9 solidos menses demum liberata est. Ea ipsa tamen mulier nihil „unquam lactei in urinis deposuit, „.

## §. 4.

B) *Spurius diabetis* porro est frequens urinæ aqueæ, pallidæ, inodoræ, potus quantitatem multo superantis mictus *c*). Morbus hic a variis phænomenis & similitudine quorundam cum aliis nonnullis morbis varia sortitus est nomina, ut apud GALENUM *d*) ac FORESIUM *e*) videre est. Etenim I<sup>ma</sup>) ὑδρωτὶς εἰς ἀμυδα *bydrops ad matulam*, 2<sup>da</sup>) διάρροια εἰς ὄρα *diarrhæa urinæ*

*a*) Vide §. 15. n. 13.

*b*) Przlekt. Acad. in propr. instit. rei med. c. n. HALLERI Tom. 3. ad §. 380. p. m. 162. nota *lac.*)

*c*) OOST. SCHACHT I. c. §. 3.

*d*) De loc. aff. L. 6. C. 3. De crisib. L. 1. C. 1.

*e*) Obl. & cur. med. L. 24. Schol. ad Obl. 4.

*lis*, ac 3<sup>to</sup>) διακός ob enormem plerumque sibi comitem sitim nuncupatur. CELSUS a) spurium huncce diabetem *urinæ nimiam profusionem* dixit. Species hæc multo est, quam prius memorata, frequentior, licet multi, quid verum inter ac spurium diabetem interesset, ignorantes unum pro alio habuerint, crederintque spurium fuisse, de quo GALENUS b) est locutus: idcirco gloriati quoque sunt, se id vel sæpius vel semel certe vidisse, quod ille adeo raro evenire dixit, ut nonnisi bis in vita viderit. Verum ipse hic etiam spurius diabetes quasdam sui exhibet varietates indole effectu eventaque discrepantes, quandoquidem observatur esse

1<sup>mo</sup>) *continuus* aut *periodicus*, qui posterior inter rariores est referendus adeo, ut operæ pretium sit exempla ejus nonnulla in medium adferre. T. BARTHOLINUS c) meminit viri ætate provecta, qui singulis mensibus diabete cum dolore post nephriticis cruciatus corripiebatur, instanteque plenilunio urinæ mensuras xij reddebat, licet vix  $\frac{1}{3}$  mensuræ bibisset. Diabetes tamen hic nullam invexit maciem, sed corpus plenum vegetumque permansit. In urinæ autem destillatione, si calor fornacis erat intensior, dolor angebatur: porro cum sex alvi cum  
uri-

a) De medicina L. 4. C. 20. c) Misc. nat. cur. Dec. 1. §. 2. ann. 2. Obs. 162.

b) De loc. affect. L. 6. C. 1.

urina copiosas arenulas sibi admistas exhibebat, ut satis appareret, diabetem renum deberi sabulo: numquid & periodi inde pendebant? sunt sane calculosi, quos exacerbationes ad lunæ phases contingunt; sed & notati sunt periodici diabetes, in quibus nec in vita signa calculi, nec a morte ulli in cadavere calculi præsto erant, id quod morbus & anatome in R. I. CAMERARII *a)* ægro palam fecit. Multum priore cum casu commune habet casus (ni forte unus idemque fuerat) ab OL. BORRICHIO *b)* observatus, nimirum vir 66 annorum temperans ac sobrius in diabetem sensim incidit omni mense plerumque bis, raro semel, affigentem, ita ut primis tribus plenilunii diebus stillicidium urinæ cum intolerabili dolore cooreretur, sed perexigua copia: insequente triduo autem ubertim, at inter minores, quam primo triduo, urethræ, vesicæ, renumque cruciatus, urina decolor & aquosa cum multis ramentis albis involuntarie profluebat ea copia, ut altero hoc triduo circ. 72 ℔. urinæ effluerent, quamvis æger interea vix ℔j. bibisset, & ne toto quidem prægresso mense potus 40 ℔. fuisset. Die 7<sup>mo</sup> urinæ sensim nativus redibat color, sphincteri robur, dieque 10<sup>mo</sup> æger sensim ad negotia revert-

te-

*a)* Vide Hist. 3.

*b)* Misc. nat. cur. l. c. Obs.

tebatur. Nullam hoc malum attulit maciem, aliudve habitui corporis aut viribus vitium. Ex hacce aliisque id genus observationibus diabetis periodice revertentis venit OOST. SCHACHTIO a) in mentem quærere „An „ quolibet septennio recurrat? An & ad septenarium dierum, hebdomadam, mensiumque numerum se accommodet? „

2<sup>do</sup>) *Colliquativus*. Ubi in diabete spurio observatores videbant urinæ quantitatem longe supra potum assumptum majore copia excerni, hominemque inde tabescere, crediderunt excessum urinæ supra potulenta non aliunde repeti posse, quam ex humorum in urinosum laticem colliquatione, imo ARETÆUS b) carnes ac membra in urinam liquari sibi persuasit. Sed videbimus postea, non semper tabescere hoc in morbo ægro: (veluti jam N<sup>o</sup> præcedente etiam vidimus), ac proinde excessum illum urinæ supra potum haudquaquam colliquationi, sed alteri prorsus causæ tribuendum esse c), præfertim cum tantus interdum sit excessus diætae, ut totius corporis ægri pondus etiam superet d): unde colligitur, posse colliquationem corporis in diabete jam adesse jam abesse, cumque adest, vehementiorem ab illo morbi indolem indicari. Recte ergo dis-

a) l. c. §. 5.

b) De sign. & caus. diuturn. morbor. L. 2. C. 2.

c) Vide §. 43. B. 3.

d) Vide §. 7. c.)



discerni diabetes spurius poterit in colliquativum & mitiorem alium absque ulla sensibili colliquatione. Discrevit utrumque (etsi non usque adeo enucleate) Ill. SWIETENIUS a) dicens: „ duplex ergo posset distingui diabe-  
 „ tes, una, per quam tenuis urinæ ingens  
 „ copia excernitur potum assumptum æquans  
 „ vel & superans, altera, quæ urinæ qui-  
 „ dem auctam copiam habet, verum simul  
 „ cum illa exeunt crassiora, sive ex colli-  
 „ quatione partium corporis nata, sive  
 „ ex chylo vel lacte ex ingestis parato, cum  
 „ sanguine fluente, & una cum urina per  
 „ renales fistulas elabente „ .

---

## C A P U T I I.

### SYMPTOMATA DIABETIS.

#### §. 5.

Quoniam triplicis generis excretio per vias urinæ in diabete fieri observatur, videlicet vel potus assumpti prorsus non aut parum admodum mutati, vel chyli lactisve cum vera urina, vel denique laticis aquosi pallidi, potu assumpto longe copiosioris, qui vel insignem simul humorum corporis quantitatem

con-

---

a) Comment. ad BOERH. §. 662.

continet ex colliquatione ac versus renes compulsionem, vel non tantam, quæ consumptionem citam inducat; satis patet, symptomatum syndromen pro varietate horum statuum variam esse posse: cumque in lienteria urinali protopathica nil pene notatu dignius occurrat, in symptomatice vero omnia ferme ad primarium morbum pertineant, cumque chyluriæ symptomata & effecta non alia sint, quam quæ in qualibet alia insigni humoris boni jactura vel in ipsa passione cæliaca occurrunt, simulque multum cum diabete spurio colliquativo commune habeat. Non est, cur omnia hæc operose isthic repetantur. At enim vero spurius diabetes, præprimis colliquativus, nec pauca, nec vulgata, nec sine multifaria etiam varietate, symptomata secum trahit: eapropter horum ad historiam dandam me accingam, nec nisi ubi priores diabetes ab hujus symptomatibus abluunt, illorum brevem injiciam mentionem.

### §. 6.

Invadit morbus hic aut ab exiguis occipiens initiis lente ad graviolem semper statum contendens, aut vero mox per principia vehemens caput effert; illud symptomatico fere, illud protopathico est solenne. A-RETÆUS *a)* omnem hunc morbum operose in *tria studia* ceu totidem mali gradus dispescuit,

*a)* l. c.

pascit, quorum in *primo* diabetis nascentis, seu ut ille ait „ cum futurus est morbus „ phænomena recenset, quæ sunt: lotii paulo ultra morem plus, oris siccitas, saliva alba spumosa, pondus ad præcordia, calor aut frigus a ventre in vesicam tendens, sitis vel nulla adhuc vel nondum vehemens: tum subdit „ diuturna est hujus morbi creatio, & „ longo tempore parturitur „ non tamen universim, ut per observata videbimus. In *altero* stadio diabetis maturi symptomata sistit, suntque priora illa insigniter aucta, ac præterea ardor mordax viscerum, nondum tamen vehemens, corporis extenuatio, abdomen rugosum, venæ exstantes, dolor in menjendo. Hæc omnia eo sunt vehementiora, quo urina copiosius redditur. In *tertio* denique stadio, ad quod e secundo velox est transitus, exhibet diabetem consummatum, in quo omnia utriusque stadii prægressi symptomata summum attingere gradum, imprimis ob accedentem iis febrem hæcticam, quæ quoniam & eadem cum diabete symptomata habet, & perinde per eadem tria stadia procedit, facile colligitur, quanta debeat esse vehementia symptomatum, quæ duplex morbus, & pro se quisque gravis, uno in corpore eodem tempore producit. Idcirco etiam „ brevis erit (inquit ARETÆUS) hominis „ vita, in quo affectus iste perfectus fuerit „. Quapropter horum trium stadiorum sympto-  
mata

mata singillatim nunc expendere operæ præ-  
tium erit.

## §. 7.

I. URINA, siquidem hocce in morbo  
& primarium est phænomenon, & cetera  
post se symptomata ceu effectus trahit, pri-  
mo omnium est spectanda, ejus nimirum  
mittendæ tempora ac intervalla, stimulus ad-  
mittendum, copia, qualitatesque (i. e. odor,  
color, sapor, contenta).

a) *Tempus*. quo micturitio maxime  
adfligit, est inter principia morbi noctur-  
num, seu potius dum æger sub lecti stragu-  
lis jacens incalescit, id quod egregie con-  
firmatur observatione R. WHYTTII a): vir  
quidam 10 aut 12 continuis diebus nocte  
quavis a 4 ad 6 pintas Anglicas urinæ pal-  
lidæ mingens, ubi vires inde minui sensisset,  
decrevit experiri, num lectum deferere  
esset proficuum? Itaque postquam noctu bi-  
nis mictionibus ad sesqui pintam lotii reddi-  
disset, hora 2<sup>a</sup> matutina surgens intra bi-  
horium extra lectum non plus  $\frac{1}{8}$  pintæ ex-  
crevit: inde lectum repetens intra bihorium  
jam rursus ad  $\frac{3}{4}$  pintæ lotium pallidum red-  
didit. Aliquot postea noctibus idem eodem  
eventu tentavit. Noctu pariter micturitio

Trnka de Diabete

B

affli-

a) Beobacht. über die ner-  
ven-hypoch. und hyster.

Zufälle Cap. 6. §. 8. c.)  
p. m. 189. 19.

afflixit ægros DOLAEI *a*), FOTHERGILLII *b*), HILDANI *c*), LEBENWALDII *d*), OOST. SCHACHTII *e*), SCHMIDII *f*), SCHUCHMANNI *g*), trium aliorum WHYTT *h*) meminit, & alii *i*). Mirum profecto est, eo præsertim tempore lotii secretionem augeri, quo perspiratio calore lecti promoveri, urinæ copiam plerumque minuens, solet. Arbitratur omnino WHYTT *k*) nocturnum hoc urinæ profluvium idem profus in diabete esse, quod in hectica febre nocturni sunt colliquativi sudores. Verum tamen in progressu diabetis evenit, ut haud segnius interdiu quam noctu ægri mingant, quemadmodum in WHYTTII *l*) ægro aliisque notatum est. Unde ARETAEUS de ultimo diabetis gradu agens „ neque (ait) cum „ intermissione lotium reddunt (ægri), sed „ perinde atque canales laxati sint, indefi- „ nens est profusio „ quale quid in ægro HARRISII *m*) est observatum, tametsi id SWIETENIO *n*) non abs re videatur rarissimum, nisi tum forsitan, ubi diabete urinæ incon-

tinen-

*a*) Vide §. 37. n. 4.

*b*) Vide Histor. 3. n. 1.

*c*) Vide §. 17. b)

*d*) Vide §. 16.

*e*) Vide Hist. 7. n. 3.

*f*) Vide §. 17. d)

*g*) Vide Histor. 3. n. 2.

*h*) Vide §§. 60. 69. 70.

*i*) Annal. W'ratisl. Tent. 23. p. 29.

*k*) l. c. p. m. 190.

*l*) Vide §. 70.

*m*) Vide §. 19.

*n*) l. c.

tinencia simul comes est, id quod BORRICHII *a*), C. F. DANIELIS *b*), ac FOTHERGILLII *c*) in ægrotis est observatum. Dicendum nunc etiam de intervallis, e quibus lotium post potum assumptum excerni solet. Lienteriæ urinari proprium est, potulenta ocyslime remingi, quod quam celeriter fiat, docuit æger FERNELIO *d*) notus, qui quotidie intra horam aquæ tepidæ medicatæ ℞. xvj exorbens, qualem sumpserat, talem protinus emejebat. In chyluria plus intercedit moræ, ut e natura chylicationis intelligitur. In spurio autem diabete res variat, prout nempe is in primo, altero, tertiove gradu est, & copia laticis aquosi ad renes confluit uberior, ut passim in adducendis postea exemplis videre erit.

b) *Qualitates* lotii diabeticæ (i. e. color, odor, sapor, contenta) pro vario morbi genere sunt variæ; in lienteria urinari color, odor, sapor idem lotio inest, qui fuerat potus paulo ante assumpti: in chyluria & chalaçturia urina lactes turbida est inter mejendum, quæ vario post tempore (plerumque non nisi post plures horas) deponit sedimentum omnibus notis chylo simile, copiosumque adeo, ut apud TIMÆUM *e*)

B 2

di-

*a*) Vide §. 4. n. 1).

*b*) Beyträge zur medic. Gelehrsamkeit 1. Th. 15. Abhandl. p. 130. 139.

*c*) Vide Histor. 8. n. 1.

*d*) Pathol. L. 6. C. 13.

*e*) Vide §. 3. A. n. 2.

dimidium plerumque matulæ, apud STOELLERUM *a)*  $\frac{3}{4}$  totius quantitatis emictæ exæquarit. In spurio denique diabete urina est pallida, tenuis, aquosissima, vel subturbida cum filamentis & pelliculis instantibus, velut in BORRICHII *b)* ægro. Ceterum sapor in provento præsertim malo dulcedinem mellis præ se fert, qui a multis pro pathognomico diabetis habetur signo, adeo ut hunc solum, nunquam vero alium, observatum esse voluerint, qui henteriam urinalem dari unquam sunt inficiati, inter quos WILLISIUS *c)* „ quod autem pierique „ (ait) authores potum aut parum aut nihil „ immutatum reddi asserunt, a vero longissime distat; quoniam urina in omnibus, „ quos unquam me novisse contigit (& credo ita in universis habere), tum a potu „ ingesto, tum a quovis humore in corpore „ nostro gigni solito plurimum differens, „ quasi melle aut saccharo imbuta, more dulcescebat. Prædicti erroris occasio „ (ut opinor) fuit urinæ color, qui semper crudus & aquosus, velut pica aut hydropse laborantium, apparet „ . Perinde LISTERUS *d)* negavit visam unquam urinam potulentis per omnia similem, sed semper

*a)* Vide §. 63.

*b)* Vide §. 4 n. 1.

*c)* Pharm. ratisc. Sect. 4. C. 3.

§. 2. p. m. 89

*d)* Tract. de quibusd. morb. chron. Exercit.

2. §. 1.

per aqueam ac subpallidam. Sed si hi bini Cl. Viri plura vidissent, paucioraque credidissent, non erant forsan lienteriam urinalem inficiaturi.

c) *Quantitas* urinæ perinde pro varia diabetis specie est quoque varia; in lienteria uriniali copiam potus assumpti æquat: in chyluria, etli BOFRHAAVE a) ac SWIETEN b) copiosorem quantitatem solito melius pronunciant, tamen SIOELLERUS c) contrarium observavit. Ast in spurio diabete pathognomicum est signum urinæ copia potu assumpto major, atque hic excessus eo est insignior, quo morbus est proventus magis, adeo ut incredibilis sæpe urinæ vis profundi visa sit, pondus non potulentorum modo sed omnis etiam alimenti assumpti magnopere excedens. Varias urinæ excretæ supra potum assumptum mensuras exhibent observationes (suis quæque locis dandæ) FOTHERGILLII d), GOERTZII e), CUMMENI f), IUNCKERI g), RIEDLINI h), HERTODII i), OOST. SCHACHTII k), SCHMIDII l), METZII m), DO-

B 3

LAEI

a) Vide §. 3. A. n. 2.

b) l. c.

c) Vide §. 67.

d) Vide Histor. 8 n. 1.

e) Vide §. 26.

f) Vide §. 64. n. 1.

g) Vide §. 21.

h) Vide §. 69.

i) Vide §. 64. n. 1.

k) Vide Histor. 7.

l) Vide §. 17. d)

m) In HALLERI Disp. ad morb. hist. &amp; cur. fac.

T. 4. n. 112.



LAEI *a*), aliorumque ab HALLERO *b*), collectæ; nonnullas hic integras ob rei dignitatem dare visum est. G. A. SCRIBONIUS *c*) refert Siensæ fuisse quemdam, qui omni die 4. 5. cantharos loti reddebat, licet vix quadrantem bibisset. M. GATINARIA *d*) memoriæ prodidit, fuisse Mediolani in cura F. de BUSTE puellam 18 annorum quæ quotidie, per 60 dies, minxit 16 bocalia lotii, licet assumpta in cibo potuque non exæquarint quantitatem trium bocalium, ita ut „ si totum corpus dissolutum „ fuisset, non ascendisset ad quantitatem „ tantam. . . Tandem puella liberata fuit, „ nec erat multum extenuata „ . Affinem prorsus casum narrat DOLAEUS *e*), nimirum „ in ephipiario aulico sene 68. . . annorum „ diabetem observavit, . . . cum siti intolerabili, & summo virium lapsu, imo „ non urina tantum sed potus, & is parum „ vel nihil immutatus, excernebatur tanta „ copia, ut quovis die 18 ℥. lotii emitteret, cum ipse duntaxat cum potu & „ cibo non plus 3½ ℥. assumpsisset, quæ „ mictio copiosa per 30 dies perseverabat, „ & sic per hoc tempus emisit ultra cibi

„ ac

*a*) Vide §. 37. n. 4.

*b*) Physiol. T. V. L. 12. S. 2.

§. 20. p. 89. T. VII. L. 26.

S. 4. §. 7. p. 391.

*e*) Lib. de urin. infect.

*d*) Pract. C. cur. invol. exit. urin.

*e*) Commerc. liter. Epist. s. p. 56. in append. ad Encycl. Med.

„ ac potus quantitatem 370 ℔. quod pon-  
 „ dus longe excedebat pondus viri illius  
 „ macri, etsi in urinam fuisset conversus;  
 „ quia senex non plus 160 ℔. pondera-  
 „ bat: omnia enim assumpta exacta trutina  
 „ examinata fuere una cum urina emissa.  
 „ Tandem post mensem convaluit. . . Post  
 „ morbum tantum 6 ℔. a pondere prædi-  
 „ cto viro defuere „ . His autem longe ma-  
 „ jor urinæ supra potum excessus erat primum  
 in ægro BORRICHII a), tum puella MICHE-  
 LOTTI b). Sed stupendus est G. FONSECAE  
 Medici cubic intim. Pontificis INNOCENTII  
 X. casus, qui anno 1637. M. Martio cu-  
 ravit nobilem monachum e familia DE FRAN-  
 CHI 27. annorum quotidie urinæ tenuis co-  
 lore & substantia aquæ similis ℔. 200 min-  
 gentem, simulque ab omni potus genere  
 abhorrentem, id quod primarii quoque Me-  
 dici Romani viderunt, B. AVERCHINUS,  
 I. I. BALDVINUS, P. ZACHIAS, & P. SER-  
 VIUS c). Neque minus „ mirabile est, quod  
 „ vel nostra, ait MORGAGNIUS d), ætate  
 „ Venetiis e) & Bononiæ f) constat in  
 „ spurio, quem vocant, (diabete) acci-  
 „ disse duabus virginibus, ut altera intra

B 4

„ dies

a) Vide §. 4. n. 1.)

b) Vide § 71.

c) Libr. de naturæ artisque mi-  
raulis p. 538.

d) De sed. &amp; caus. morb. Epist.

41. n. 11.

e) Caso prop. da B.  
BARATI a L. TES-  
TI.f) Comment. Bonon. T.  
1. p. 145. 199.

„ dies 94. urinæ libras reddiderit 3674,  
 „ altera ~~libras~~ dies 97 reddiderit libras 4171,  
 „ cum earum utraque non modo aut parum  
 „ aut nihil biberet, sed quasi eorum instar,  
 „ qui hydrophobia laborant, & sitiret pluri-  
 „ mum, & potionem quamlibet abhorre-  
 „ ret „. Bononiensem casum & LIVIZANO  
 acceptum I. A. MUNDINUS ita reculit:  
 moniali 18 annorum pituitosæ catamena  
 suppressa secutus est ventriculi dolor, lassitudo,  
 vultus mutatus, & interdum dyspnœa.  
 LIVIZANUS hæc emendaturus cum revocare  
 menses remediis studet, oritur ex improvi-  
 so diabetes per 97 dies. Omni die urinæ  
 ℥. 43 (imo quandoque 8. 9. unciis plus)  
 fluxere. Post 97 dies per quadrimestre quo-  
 tidie urinæ ℥. xij. excretæ sunt. Nihil  
 toto morbi hujus tempore virgo bibit, sed  
 hydrophobæ instar omnia liquida horrebat;  
 cibus vero omni die vix ℥. ij. erat, cui  
 sex alvi respondebat, somnus, nisi micturi-  
 tione turbaretur, quietus, vires exiguæ, non  
 fractæ tamen, ut lectulo surgeret prompte,  
 ambularet, suæque obiret munia. Corpus  
 non extenuabatur, urinæ erant citrinæ (mi-  
 rum!), & quandoque aliquam separationem  
 ostendebant. Finito profluvio, ægra nihilo-  
 minus valetudinaria manit, ob tumores cir-  
 ca hepar lienemque obortos, utrinque unum,  
 queis tam gravis in pectore accessit pulsa-  
 tio, ut manus admota eam sentiret, ægra

tamen id temporis ita valente, ut & mandata perageret, & regulas ordinis observaret. Ob hanc itaque incredibilem sæpe confluentis in vesicam lotii vim, fat elucet, quantus in diabete spurio præsto esse debeat mejendi stimulus, seu

d) *Micturitie*, quæ tam est vehemens, ut ea urgente lotium vix per brevissimum tempus retineri queat, quin vel involuntarie produat, ut GOERITZII a) ægrotae, vel diutius retentum alia continuo inducat mala, ut ARETÆUS b) notat „mictum (inquinans) quæ ratio suppresserit, aut quæ verècundia dolore potentior? si autem vel parum temporis a mejendo abstinuerint, intumescunt lumbi, testes, & ilia; cumque remiserint, lotium quidem calefactione profundunt, tumidæ vero partes detumescunt; in vesicam enim conluit exundatio „. Pulchre hæc observatio I. B. THEODOSII c) confirmat: „N. LEVA Lucensis omni ferme hora ad mictionem cogebatur, & urinam subtilem, albam, & sine ardore mingebat: quod si aliquando eam retinere conabatur, sentiebat quosdam flatus excrementosos fuliginososque a partibus vesicæ elevari, ex quo ventriculus inflari videbatur, & magis

B 5

ascen-

a) Vide §. 26.

c) Epist. 32.

b) l. c.

„ ascendentes diaphragma comprimebant,  
 „ tultim excitabant, & ad cerebrum ascen-  
 „ dentes motus quosdam vertiginosos cau-  
 „ sare videbantur, cum catarrhi defluxu &  
 „ dejectione crebriore; & urina missa o-  
 „ mnia hæc symptomata statim cessabant „ .  
 Perinde apud SAUVAGES a) „ hysterica  
 „ . . . serum insipidum aqueum copiosissi-  
 „ mum fundebat per aliquot dies: hoc ces-  
 „ sante leucophlegmatica evadebat: redeun-  
 „ te sic per vices diabete solvebatur phle-  
 „ gmatia „ . Hæc de urina.

## §. 8.

2. SITIS in utroque diabete vero, si  
 protopathicus est, raro præter consuetudi-  
 nem est major, pierumque autem secundum  
 naturam; at in spurio tanta est, quanta in  
 nullo alio cognito morbo, nisi quam ser-  
 pentis *Dipsadis* morsus inducit. Intoleran-  
 dam ardentissimamque vocat, nec facile ani-  
 mi imperio sustinendam, ARETÆUS b)  
 „ neque eos (ægros) quisquam (dicens)  
 „ neque a potu neque a mictu inhibere pot-  
 „ est: quod si vel punctum temporis in-  
 „ hibeantur, siquidem a potu os siccatur,  
 „ corpus arefcit, viscera ipsi sua conflagra-  
 „ re opinantur, omnia fastidiunt, de omni-  
 „ bus dubitant „ . Ægrotam BLEGNYI c),

fi

a) Nosol. meth. T. 3. P. 2.

b) l. c.

Cl. 9. Ord. 3. Cap. 25. n. 3.

c) Vide §. 53. n. 2.

si potus non illico dabatur, syncope inva-  
 debat. Miraculo itaque est, quod narrat  
 TRIOEN *a)* „ tinctor diabete. . . adfectus  
 „ a variis auxilium imploravit; lufit vero  
 „ medicorum operam morbus: hinc. . . fa-  
 „ miliaris sui consilio fequenti medicamine  
 „ se studuit curare, ac unica vice integram  
 „ modo conditam est halecem, bibirque  
 „ vini Rhenani vetustioris libram suble-  
 „ quentium 24 h. spatio, præterea nihil.  
 „ Maximopere sitibundus cruciatus impar,  
 „ morbi atrocitatis tamen patiens, ac fer-  
 „ reus homo ipsa morte perpeffus est gra-  
 „ viora. Postera luce propositi tenax ejus-  
 „ dem liquaminis dimidia velctur parte, ac  
 „ generosi Lyæi Patris duas impiger adsumit  
 „ libras, patientia vix ore debili caçastro-  
 „ pham actus expectat. Vota vicerunt,  
 „ & quæ casus obtulerat, nec ars, nec ra-  
 „ tio, sed fors in commodum vertit „ .  
 Quanta autem sitis diabetem hunc concomi-  
 tans sit, vel inde patet, quod pene nullo  
 fatis potu sedari queat, licet immani sæpe  
 copia ingurgitetur. HILDANI *b)* puer singulis  
 noctibus ℥. 10. & amplius hausit, ZACU-  
 TI ægrorum unus *c)* horæ spatio ℥. 20.  
 alter *d)* quotidie ℥. 90 ingurgitabat,  
 BLEGNYI *e)* ægræ intra nycthemerum aquæ  
 vix

*a)* Obs. med. chir. 2. p. 2. *d)* Vide § 71.

*c)* Vide §. 17. *b)*

*e)* Vide §. 55. n. 2.

*b)* Vide §. 64. n. 3.

vix 4 siculæ satis erant. RUYSCHII *a)* diabeticus intervallo hebdomadis  $\frac{1}{2}$  dolium cerevisiæ exhaustit. Apud DODONÆUM *b)* alius „ subinde uno die, amplius quam urnam „ 40 ℥. reddebat, bibebat non minus, „ ut qui propter assiduam urinæ profusionem „ assidua quoque siti premeretur. Cum au- „ tem huic nulla prodesse remedia, & vix „ ulla sibi adhiberi pateretur, paucis diebus „ deficiens e vita commigravit „. P. PA- WIIUS *c)* meminit puellæ 18 annorum, quæ aliquot annis diabetem passa adeo sitiit, ut non raro unico die 2. 3. urnas potus hauserit, nec minxerit minus. Rara omnino sunt diabetis exempla absque immoderata siti, ut in RUBEI *d)* & SILVATICI *e)* pueris; rariora etiam, ubi ægri potum omnem abhorrent, velut duæ illæ virgines Veneta una, altera Bononiensis *f)*, & Consul HOLLE- RII *g)*, licet, ut caute Cl. Vir notat, nullo, quod micturitionis obtudisset sensum, teneretur delirio.

## §. 9.

3. ARDOR *viscerum*, DOLORque jam hypochondriorum, jam renum, vesicæ, jam aliarum partium nonnullos ægros simul affligit,

*a)* Vide §. 19.*b)* Observ. medic. Cap. 42.*c)* Observ. anat. 2.*d)* Vide §. 53 n. 3.*e)* l. c. Conf. 41.*f)* Vide §. 7. c).*g)* Vide §. 23.

git, idque vel continenter vel ex intervallis, ac maxime inter mejendum; quippe cum mucus viarum trophorarum a copioso lotio præterfluente averratur, ardorem postea doloremque oriri ibidem est necesse: idcirco etiam ægroti teste ARETÆO *a)* „ cum dolore mejunt... viscera ipsi sua conflagrare „ opinantur „ : quæ omnia confirmantur historiis BORRICHII *b)*, FÜRSTENAVII *c)*, GOERITZII *d)*, FOKESTI, *e)*, LEBENWALDII *f)*, TIMÆI *g)*, TRINCAVELLI *h)* aliorumque.

§. IO.

4. ANOREXIA graviorum quorumque morborum comes diabete cum vero tunc notho ut plurimum etiam adest, licet non sine varietate. Ratio ejus in siti, ardore, dolore, vigiliis, ac febre hæctica, quæ appetentiæ officiant, non obscura est; ac sane prorsus non appetiere ægroti tum FOTHERGILLII *i)* tum STOELLERI *k)*, quorum istum chylosus, spurius illum diabetes afflixit.

§. II.

*a)* l. c.

*b)* Vide §. 4. n. 1.

*c)* Vide Histor. 4. n. 2.

*d)* Vide §. 26.

*e)* Obs. & cur. med. L. 24.

Obs. 4.

*f)* Vide §. 16.

*g)* Vide §. 3. A) n. 2.

*h)* Vide §. 22.

*i)* Vide Histor. 8. n. 1.

*k)* Vide §. 63.



## §. II.

5. FEBRIS *bestica* in vero diabete SIOELLERO *a*) visa est; in spurio, etsi per principia, imo etiam ferius abesse, ut in casibus BLEGNYI *b*), CAMERARII *c*), RUBEI *d*), &c. visa est, in colligativo tamen vix unquam desideratur, vesperique emicans morbi symptomata in noctem exasperat, quod & WHYTT *e*), notat, & FÜRSTENAU *f*) suo in ægro observavit.

## §. 12.

6. VIGILIAE a spurio diabete vix unquam absunt; siquidem somnum & febris vespere ingruens & perpetua micturitio & sitis potu non sedanda vel arcent, vel ab-rumpunt, ut ex historiis passim allatis abunde liquet.

## §. 13.

7. DEBILITAS *virium* porro dicta ha-ctenus symptomata non potest non consequi: ubi enim ob urinæ profluvium & humorum jactura, & dolor, & inappetentia cum febre cum vigiliis præsto sunt, vires ibi con-velli est necesse, id quod ante alios in bi-nis OOST. SCHACHVII *g*) ac STOELLE-RI *h*) diabeticis insigniter observabatur.

## §. 14

*a*) Ibidem.

*b*) Vide §. 53. n. 2.

*c*) Vide Histor. 2. n. 4.

*d*) Vide §. 53. n. 3.

*e*) l. c. C. 6. §. 8. p. m. 190.

*f*) Vide Histor. 4. n. 2.

*g*) Vide Histor. 7. n. 1. sqq.

*h*) Vide §. 63.

## §. 14.

§. MACIES denique in chyluria, & colliquativo diabete notho ob jacturam humorum, anorexiam, febrim, vigiliam, &c. celeriter emergit, cum ventre rugoso venisque exstantibus, adeo ut obesi torosique paulo ante aliquot post diebus contabescant. FERNELIUS *a)* „ obesum quemdam & tumidulum vidit ex multa mictione diebus circ. 8 mirum in modum extenuari & concidit: quæ observatio quamvis ob temporis angustias incredibilis IOUBERTO *b)* visa sit; tamen ab simillima, quam HARRIS *c)* dedit, vindicatur. Tanta vero illa macies tamque pernixa cum sit, credit ARETAEUS *d)* ipsa solida corporis etiam in laticem urinosum debere colliquari: „ diabetes (ait ille) . . . miraculum quoddam est, haud ita sæpe hominibus usitatus, „ carni ac membrorum in urinam colliquatio „. Contra ea non usque adeo tamen macies diabete spurio est constans, ut semper consequatur; absuit a periodico BARTHOLINI *e)*, BORRICHII *f)*, CAMERARII *g)*, uti & continuo apud DOLAEUM *h)* & GATINARIAM *i)*.

## §. 15.

*a)* Pathol. L. 6. C. 13.*b)* De urinis C. 13.*c)* Vide §. 59.*d)* l. c.*e)* Vide §. 4. n. 1.*f)* Vide §. 4. n. 1.*g)* Vide Hister. 2. n. 4. 7.*h)* Vide §. 7. c).*i)* Ibidem.

## §. 15.

Sunt & alia porro, præter hætenus in medium allata, in diabete seu chyloso seu spurio symptomata nonnunquam conspicua, ac rariora illa quidem, & vel febris hæcticæ progenies, vel altioris certe indaginis. Horum itaque in censum pertinent

9. *Tumor pedum, coxarum, lumborum* ab LOMMIO a) memoratus, qualem FORESTUS b) in vetula observavit; cum

10. *Raucitas*, ut in LISTERI c) puella.

11. *Convulsiones*, quæ RUBEI d) ac MORTONI e) puero, viroque WEDELII f) nec non matronæ BROKLESBYI g) acciderant.

12. *Hæmorrhoidum fluxus* in viris ACOLUTHI h) ac FÜRSTENAVII i), BLEGNYI k) vidua, vario eventu notatus. Et demum (quod singulare)

13. *Cæliaca passio* in chyloso diabete ab H. I. COHAUSEN observata. Femina 29 annum agens ab II. mensibus morbum cæliacum patiebatur tanto cum urinæ profluvio, ut octuplo decuplove tantum intra 24 h. mejeret, quantum bibit, album semper urina ponente sedimentum: unde palluit ægra cum extrema macie; cumque post varia frustra usurpata malum potius cresceret, usu aquæ cha-

a) Obs. med. L. 2. p. m. 215.

b) l. c.

c) Vide §. 17. b)

d) Vide §. 53. n. 3.

e) Vide §. 72. n. 1.

f) Vide §. 17. c)

g) Vide Histor. 6 n. 2.

h) Vide §. 17. c)

i) Vide Histor. 4. n. 4

k) Vide §. 53. n. 2.

chalybeatæ cum aliis adstringentibus post 6 hebdomadas sensim ad pristinam rediit valetudinem a).

## CAPUT III.

### PROCATARCTICÆ CAUSÆ DIABETIS.

#### §. 16.

I. AQUOSI POTUS, ac præprimis tepidi, abusus haud difficulter diabete[m] inducit. BOERHAAVIUS b) „ hunc morbum vidit in juvene, qui noctes diesque studiis incumbibat: „ somnum arcebat perpetua pocillatione „ Theæ & Coffeæ. Incidit miser in deplorabilem tabem, ut siphar hominis videretur, & ultimo cum intolerabili & inextinguibili sitis tormento exspiravit „. GRIMMIUS c) quoque ex abusu Theæ visum memorat diabete[m]. Hucne etiam referendæ sunt stagnantes aquæ, æstivo tepentes calore, corpore æstuante potæ? A potu spermatis ranarum insignis diabete[m] meminit LOSSIUS d), & Rabbi MOYSES e) de hac ægritudine agens „ ego (inquit) non vidi

Trinka de Diabete C „ eam

a) Nov. Act. phys. med. nat. cur. Tom. 2. Obs. 11.

b) Prælect. acad. in propr. instit. rei med. c. n. HALLERII T. 6. ad §. 324.

c) Compend. med. chym. p. 255.

d) Observ. p. 314.

e) Aphorismor. partic. 8.

„ eam contingere in occidente, neque au-  
 „ divi ab aliquo meorum Doctorum anti-  
 „ quorum, quod eam viderit. Sed tamen  
 „ hoc vidi in Ægypto aliquos patientes hanc  
 „ ægritudinem infra 10 annos plus quam  
 „ 20, & forte accidit ex potu aquæ Nili  
 „ saporosæ, quam frequenter bibunt „.  
 Huc indubie pertinet observatio, quam dedit  
 A. a LEBENWALDT a): puer decennis  
 æstate aliquot millaria citato gressu profe-  
 ctus tantam contraxit sitim, ut ex quavis  
 obvia aqua affatim biberit, continuoque eam  
 reminxerit; quod malum postmodo aliquot  
 hebdomadis diu noctuque affixit adeo, ut  
 una interdum nocte puer 15 mensuras aquæ  
 frigidæ, ut primum epota est, mejeret. Si-  
 tis tamen non levata, ac tantus aliquando  
 pectus invasit ardor, ut nive & glacie admo-  
 ta obtundi debuerit. Curatus tandem est  
 adstringentibus sitimque tollentibus.

§. 17.

2. DIURETICA multo in potu hausta, extrinsecusve corpori applicata, qualia præfertim sunt

a) *Vina acidula*, aut *diuretica*, vel  
*cerevisiæ* cum baccis juniperi, similibusque  
 paratæ. AMATUS b) Romanum quemdam  
 ex largo meracioris vini & chretami usu in  
 lien-

a) Misc. nat. cur. dec. 2. ann.  
10. Obs. 155.

b) Curat. med. Cent. 2.  
cur. 94.

lienteriam urinalem cum intensissima siti incidisse narrat, qui cathartico præmissa, tum plasticis, ac demum roborantibus adstringentibus datis, excusque admotis, intra 12 dies convaluit. LISTERI a) juvenis obesus a matutina mellis crudi ex vino canarino portione gravissimo diabete correptus intra octiduum exspiravit. Alter apud TULPIUM b) patritius juvenis ob excisum sibi in pueritia calculum adeo dein lithotomiam horruit, ut ad præcavendam novi calculi genesim diuretica quæque usurparit, & e continuo vini malvatici cum sem. urticæ usu in tantum incidit diabete, ut quotidie ℞. vj. megeret: unde intra trimestre febris hectica corpus colliquavit. WILLIS c) quoque hominem novit vino Rhenano pro potu ordinario per 20 dies usum, a quo diabetes ortus ad omnia rebellis eum intra mensem confecit. Felicior isto vir COMMENI d) fuit, perinde a largo vini potu diabete perpeffus. Denique ex usu *cerevisiæ Fredersdorffianæ* chirurgus quidam ad 50 annos natus diabete, noctu præsertim, cum siti viriumque jactura contraxit: mane remedio erat una alterave scutella infusi Theæ herbæ calide hausta e).

C 2

Aqua

a) l. c. zgret. 40.

b) Observ. med. L. 2. C. 46.

c) l. c. p. m. 93.

d) Vide §. 64. n. 1.

e) Aët. med. Berol. Dec. 1. Vol. 5. art. 2. p. 34.

b) *Aquæ minerales* affatim potæ. Apud HILDANUM a) puer septennis ardore urinæ, etsi non vehementi, aliquamdiu tentatus acidulas Griesbachienfes copiose bibens incidit in diabetem cum tanta siti, ut quavis nocte plus quam ℥. 10 aquæ (præter vinum ei admittum) exhauriret. Potum hunc nihil mutatum protinus emingebat. Dabantur lac amygdalarum (quod perinde mox, colore vix mutato, minxit), jura gallinacea, carnes assæ: cum mota leniter alvo potiunculæ roborantes & adstringentes, iisdemque renum regio ungebatur. Quis cum pene curatus esset, post Medici abitum resumpto vino aquoso recidivam lethalem incurrit. Bina id genus exempla LISIÆRUS quoque refert. Puella 16 annorum sana, alvo adstricta admodum, cum animi causa ad 10 dies multum aquæ sulphuræ hausisset, diabetem spurium cum ingenti ad stomachum ardore, siti non extinguenda, raucedine, vigilisque perpetuis incurrit: quis brevi post se diarrhæa junxit cum ani in dejiciendo, vesicæque sub mictu, ardore. Amygdalatis potionibus ac lacticiiniis post aliquot menses evaserat b). Alter vir erat mediæ ætatis, hyeme anhelus catarrhosisque, quæ mala dum opio & Epsomensibus aquis oppugnaret, diabetem contraxit; at sola ab his

re-

a) Obs. med. chir. Cent.  
5. Obs. 53.

b) l. c. ægrot. 2.

remediis abſtinentia ſuperatum: verum anno inſequenti priſtina in mala relapſus dum priora iterum remedia adhiberet, diabetem quoque iisdem revocavit adeo gravem, ut diu noctuque ad aliquot ſemper uncias lotium flueret pallidum ac ſubturbidum: unde poſt menſem obiit *a*).

*c*) *Medicamenta* diuretica, præſertim acriora, imprudenter uſurpata, extuſve admota. „ Sexennis puella . . . poſt curatam „ urinæ incontinentiam fluxiones oculorum „ doloremque paſſa, a veſicatorio ex can- „ tharidibus ad nucham applicatis lethalem „ incidit in diabetem „ ut HÜNERWOLF *b*) refert. I. A. ACOLUTHI *c*) calculoſus ſuaſu amici per longum tempus quotidie jejunus 3. 4. bacc. juniperi eo cum ſucceſſu comedit, ut omnia calculi ſymptomata prorsus evanuerint. Quo viſo radicitus malum ſublaturus æger doſin remedii ad manip. ß etiam quotidie auxit: inde vero diabetes ad omnia rebellis ortus, ac ſenſim auctus anorexiam, debilitatem, maciem, vigilias, ac mortem demum, ante quam triduo hæmorrhoides fluxere, accivit. Apud GERBEZIUM *d*) non abſimilis caſus exiſtat: ſacerdos hypochondriacus dum adverſus urinæ ſabulo

C 3

co-

*a*) Ibid. ægrot. 3.

*b*) Misc. nat. cur. dec. 2, ann.

7. Obſ. 86.

*c*) Aſt. nat. cur. Vol. 10.

Obſ. 52.

*d*) Misc. nat. cur. Cent. 3.

& 4. app. p. 42.



copioso præditæ ardorem varia abstergentia, stomachica, leniterque diuretica diu sumpsisset, ardor quidem urinæ desit, evanuitque sabulum, sed lienteria urinalis cum anorexia, siti inexplebili, vigiliis, ac macie successit, a quæis usu analepticorum, demulcentium, roborantium, illitaque spina dorsi ac renibus ungv. tonicis convaluit, ingenti reversa appetentia. G. W. WEDELIUS *a)* refert virum in prophylaxin scabiei, a qua prius rite curatus est, verno tempore per vices succi betulæ ultra 15 mensuras bibisse: unde diabetes cum summa siti, calore magno, copiaque lotii triplo ac sextuplo potum superante, & odaxysmo partium natus est, ex quo frustra omnibus tentatis convulsus periit. Ex cydoniorum esu ALFONSUM Regem Neapol. diabete correptum I. M. PASCHALIUS *b)* auctor est, qui alteri quoque ex promiscuo lithontripticorum usu idem lethaliter accidisse perhibet *c)*. A crebriore asparagorum esu diabetes orti meminit PALLINI *d)*. Apud GOCKELIUM *e)* ex longo diureticæ cujusdam aquæ usurpatione nobilis quidam contraxit profluvium urinæ pallidæ, turbidæ, cum sedimento albo turbido,

*a)* Ibid. dec. 1. ann. 2. Obs. 198.

*b)* Meth. cur. morb. L. 1. C. 50

*c)* Ibidem C. 48.

*d)* Deser. nuc. moschat. Sect. 2. P. 3. membr. 5. C. 3. §. 4. p. 619.

*e)* Gallic. med. præf. Dec. 3. Obs. 4.

bido, & in fistulæ balano inter mingendum ardente dolore, nec non sub finem excretionis ejectione materiæ turbidæ respirationem subinde impredientis. Tres quoque huc ægri illi pertinent, quos a diabete BÜCHWALDUS a) liberavit. Denique duos adhuc LISIERI ægros hic referre oportet, quorum unus b) hortulanus, olim lue venerea dein herpete infectus: contra hunc antimonialia nescio quod remedium cum plures dies usurpasset, sudoris loco in lethalem incidit diabete. Alter c) miles catarrhosis, qui syrupo e decocto balsami Capevi liberaliter sumpto, & opii in pilul. de styrace mane ac vespere gr. ij. adjunctis, catarrhum quidem suppressit, ac in tantum prolapsus est diabetem, ut intra 24 h. minimum duo congia limpidi lotii minxerit. Post dies circ. 10 vox debilissima, sudor frigidus, lividæque manus interitum minabantur; sed æger vino cum gingibere cocto quantum & quoties potuit bibito intra triduum convaluit absque recidiva. Hucne pertinet diabetes viri senis a multo fumo sulphuris haulto, quem TRUMPHIUS d) intra 8 dies sustulit?

d) *Aromata*. A largo farciminis pipe-rati esu diabetem in quodam vidit curavit-

C 4

que

a) Vide §. 59.  
b) l. c. ægrot. 6.  
c) Ibid. ægrot. 7.

d) Commer. Nor. T. 10.  
A. 1740. hebd. 12. art.  
2. n. 2. p. 92

que AMATUS *a*). Narrat I. SCHMID *b*) quadragenarium ad sitim caloremque e nimio vino aromatumque usu ortum extinguendum in quovis prandio ac cœna circ. duas mensuras cerevisiæ triticeæ secundariæ bibisse, hincque omni nocte loti plus quam quadruplum, sc. ad mensuras 10. 12. plusve, colore odoreque potum assumptum exacte referentis, excrevisse, cum macie (licet avide comederet) siti ingenti, continua oris ficitate, lumborumque dolore, &c. Curatus intra mensem opio & adstringentibus, anno post apoplexia est extinctus. Veri quoque est simile viduam apud RIEDLINUM *c*), dum variis emmenagogis abortum sibi procurare tentaverat, acriora etiam aromata (forte diuresin simul ciere valentia) expertam fuisse, a quibus 4<sup>o</sup> fere mense abortiens, post vehementem hæmorrhagiam remediis coercitam, incidit demum in diabetem nothum cum virium jactura; quod ubi postmodo sponte substitit profluvium, dyspnœam primum, tum immedicabilem hydropem induxit.

## §. 18.

3. VERMES RENUM, „ Fit quoque, ait „ DURETUS *d*), diabetes ab animalculo re- „ ni-

*a*) l. c. Cent. 2. Schol. ad cur. 121. 94.

*b*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 2. Obs. 122.

*c*) Lin. med. ann. 4. Novemb. 16. p. 949.

*d*) Schol. ad HOLLER. C. 53. p. m. 555.

„ nibus incluso, . . . ut expertus sum in me  
 „ ipso, qui animalculum, quod millepedem  
 „ referebat in renibus conclusum habebam;  
 „ . . . sed DEI misericordia excreto ani-  
 „ malculo quievit „ . Vermium quidem cum  
 „ urina excretorum plures existant historiæ,  
 „ citra diabete[m] tamen, quales in TIMAEO *a*),  
 „ TULPIO *b*), aliisque videre est: neque etiam  
 „ dixero, hos vermes e renibus esse, cum plu-  
 „ ra manifeste contrarium, ut olim visuri su-  
 „ mus, persuadeant.

## §. 19.

4. ABSCESSUS RENUM. Bina RUY-  
 SCHIUS hanc in rem exempla ad posteros  
 dedit. „ Vir quidam *c*) in ætatis flore din  
 „ atrocibus nephriticis doloribus vexatus,  
 „ renisque abscessum passus, in diabete[m] in-  
 „ cidit. Singulis septimanis dolium dimi-  
 „ dium cerevisiæ ingurgitare difficile illi  
 „ non fuit. Post mortem. . . viscera satis  
 „ bene constituta, exceptis renibus & ure-  
 „ teribus, conspexit; uterque enim ren ex  
 „ parte consumptus erat, præsertim dexter,  
 „ cujus substantia plane consumpta, ejus  
 „ membranas summopere incrassatas & con-  
 „ tractas, pelvisque capacitatem adæquantes  
 „ vidit, . . . præterea ureteres admodum  
 „ tortuosos, variisque in locis expansos of-

C 5

„ fen-

*a*) l. c. casu 38.*c*), Observ. anat. chir. 11.*b*) l. c. Cap. 49. § 0. 51.

„ fendit „ . Porro alibi *a)* „ cadaveris cu-  
 „ jusdam viri phthisim diabetemque passi  
 „ anatomem instituit. Remotis intestinis. . .  
 „ in oculos. . . incurrit ureter dexter mirum  
 „ in modum distortus, atque hic illic multum  
 „ expansus, ut intestinum ratione crassitie  
 „ repræsentaret. Pelvis quoque adeo erat  
 „ distenta, ut malum aurantium mediocre  
 „ facillime & citra difficultatem admitteret.  
 „ Parenchymate omnimode consumpto nil  
 „ præter membranosas partes perquam in-  
 „ duratas superstes videbatur „ .

§. 20.

5. CALCULI RENUM, vel spurium dia-  
 betem, vel lenteriam urinalem causare sunt  
 visi. Sic CAROLUS Archid. Austriae FER-  
 DIN. II. F. ut in ejus morbo SILVATI-  
 CUS *b)* consultus refert, lithiasi renum la-  
 borans proluvium simul urinæ albæ ac te-  
 nuis cum macie patiebatur. BALLONIUS *c)*  
 vidit calculosum excretis sæpe calculis tan-  
 dem febre correptum cum diabete, sitique,  
 tabidum obiisse. In cadavere ren lævus ad  
 ureteris ortum calculo anguloso erat factus,  
 dexter minor collapsusque. Qui morbus eo  
 promptius calculosos invadit, si diuretico-  
 rum simul usus *d)* accesserit. Quod ad lien-  
 te-

*a)* Dilucid. valvul. Cap. 4.  
 Obs. 13.

*c)* Epid. & ephem L. 2. &  
 Conf. L. 2. conf. 39.

*b)* l. c. consil. 56.

*d)* Vide §. 17.

teriam urinalem attinet, T. BARTHOLINUS a) se ipsum hac in re testem præbet: „ superiori (inquiens) anno calculosa ve- „ sicæ dispositio me per vices revisit cum „ gravi circa perinæum dolore & dextrum „ testiculum, aliisque consuetis malis: uri- „ na tamen pro mejentis arbitrio prompta „ erat ad obsequium. Notabam post po- „ tum vini Rhenani, quem salutis causa „ mediocri poculo hausi, redditam esse uri- „ nam vino epoto tam similem, ut pro vi- „ no ipso harum rerum ignaro potuerit „ propinari „.

## § 21.

6 SPASMI *hysterici, hypochondriaci.*

Notum est, e SYDENHAMO b), hystericos insultus, qui nullum non morbum mentiri solent, haud certius cognosci, quam ex urinæ tum missæ limpidissimæ tam copia quam frequentia; quæ etsi, ut BOERHAAVE c) negat, diabetes nomen haud semper mereatur, tamen hunc non raro inducere visa est. WILLIS d), „ meminit duas mulieres pathe- „ matis spasmodicis & hypochondriacis ob- „ noxias, quibus subinde magna urinæ pro- „ fluxiva cum languore & carniū intabe- „ scencia accidebant „. Nec alia diabetes

cau-

a) l. c. Cent. 1. hist. 48.

b) D. II. epist. de Pass. hysteric.

c) Praelect. acc. citat. T. 3.

ad § 304. p. m. 132.

d) l. c. p. m. 93.

causa, quam hysterica passio, reperitur apud BROKLESBYI *a*), BRISBANI *b*), RIEDLINIQUE *c*) agras, & cujus meminit METZ *d*), quasque animi pathemata *e*) ista hoc mulctarunt morbo. IUNCKERUS *f*) porro vidit in hypochondriaco juvene urinam tenuem sine sedimento triplum circ. potus assumpti æquantem, cujus in cadavere viscera passim indurata fuere, glandulæ tuberosæ adeo, ut nonnullæ juglandis nucem æquarent, quarum quædam ramo venæ portarum majori insidebant.

§. 22.

7. PATHEMATA ANIMI, præsertim ira terrorque, quantum in hystericis renes afficiant, urinæque secretionem ac mictum augeant, neminem latet. TRUMPHIUS *g*) duas feminas vidit diabete laborantes, unam ex ira eidem obnoxiam, alteram e terrore in illum lapsam, quæ a V. S. & cardiacis convaluit. TRINCAVELLIUS *h*) narrat Antistitem quamdam e vehementibus animi perturbationibus in diabetem cum siti non sedanda, lingua mox a potu arida, ingenti viscerum æstu, inquietudine, ac febre perpetua,

*a*) Vide Histor. 6.

*b*) Vide §. 65.

*c*) V. de §. 17. *d*)

*d*) l. c. ad §. 7. *c*).

*e*) Vide §. 22.

*f*) V. KRATZENSTEIN  
Theor. flux. diabet. §. 6.

*g*) l. c.

*h*) l. c.

petua, lapsam ex eodem ingravescente demum periisse.

## §. 23

8. FEBRES quæcunque, & acutæ quidem jam lienteriam urinalem jam spurium diabetem producant, aut hunc in discessu post se relinquunt. FORESTI *a)* focrus 73 annorum febre acuta satis ardente correpta post 7<sup>m</sup> diem valde sitibunda tribus noctibus, urinam per 3 nycthemera ad multos congios minxit: evasit quidem, ac mense post obiit. Apud HOLLERIUM *b)* „ Con-  
 „ suli. . . in febre continua, non ita ar-  
 „ dente ad sensum, lingua scabra arida ni-  
 „ gra. Quotidie 6 pintas . . . urinæ min-  
 „ gebat, non ita siticulosus, constabat men-  
 „ te. Sub 7<sup>m</sup> diem obiit „ Alteri *c)*  
 „ consuli . . . nephritico in febre profluvium  
 „ urinæ motum, in quo serosa urina ad  
 „ duas quartas emingebatur, ex quo evasit.  
 „ Eodem morbo paulo ante ejus Pater ob-  
 „ ierat. Alter ab eodem profluvio obiit in  
 „ vico s. IOANN. Bellovacensis „ . Fre-  
 „ quentior autem videtur esse spurius hic dia-  
 „ betes febribus exanthematicis quam aliis,  
 „ præprimis variolis notante STORCH *d)*, aliis-  
 que

*a)* l. c.

*b)* De morb. intern. Schol. ad  
 Cap. 53.

*c)* Ibidem.

*d)* Abhandl. von Blatter-  
 krankh. p. 261.



que *a*), ubi circa finem stadii tertii aut initia quarti oboritur. Unum NEBELII *b*) exemplum adduxisse sat esto. Puer quadri-  
 mus variolis confluentibus mense Decembri  
 laborans ad morbi 10 diem diabete spurio  
 cum siti, æstu, inquietudineque, ac dein  
 etiam diarrhæa juncta, correptus est. Datis  
 emulsis amygdal. cum ⚥ Pannon. r. & Bezor-  
 art. SENNER. nec non gum. Arab. alvi flu-  
 xus remisit sensim, urinæ vero die morbi  
 12<sup>o</sup> mensura jss (licet liquidi per 24 h. vix  
 ℥. iij. assumptæ), die 13<sup>o</sup> mensur. j. die 14<sup>o</sup>  
 ℥. iij. die 15<sup>o</sup> ℥. ij. prodire, quo tempo-  
 re deciduis crustis diarrhæa desit, sitis remi-  
 sit, rediitque appetitus. Die 16<sup>a</sup> alvus ob-  
 structa, urina pauca flavescens, pulsus bonus.  
 Idem Cl. Vir sexenni in puero morbilloso in  
 acme post largum aquosum potum diabetem vi-  
 dit curavitque emulso amygd. cum ⚥ absorb.  
 & leniter diaphoret. In febre petechiali dia-  
 betem observavit O. BORRICHIVS *c*). Post su-  
 peratam vero jam febrem petech. quodam  
 in ægro spurium diabetem evenisse VID. VI-  
 DIUS *d*) notavit; postquam enim durante  
 ea ingentem atrii grumosi fœtidique sangui-  
 nis copiam deiecit, dum vix refecturus  
 domi se teneret, vehementissimo diabete  
 cor-

*a*) v. Annal. Wrat. Tent. 1.  
 A. 1717. Jul. Cl. 2. Art.  
 2. § 13. p. 35. MORTON.  
 Pyretol. C. 9. p. m. 106.

*b*) Act. nat. cur. Vol. 1.  
 Obs. 141.

*c*) Vide §. 51.

*d*) De cur. membr. L. 10.  
 C. 26.

corruptus intra 14 dies ex illo contabuit. Similem quoque casum retulit I. H. FÜRSTENAU *a)*. Lienteriæ porro urinæ in febre acuta continua præter TRINCAVELLIUM *b)* etiam SALMUTHUS *c)* meminit, cujus Bibliopœgus epidemica febre cum siti multa laborans „ potum omnem, prout acceptus „ erat, protinus & e vestigio per urinam „ reddebat, nihil omnino sua qualitate im- „ mutatum, nec quantitate diminutum, ne- „ que quicquam a natura concoctum: 6<sup>to</sup> die „ moritur „. At vero longe omnium frequentior est diabetes e febris intermit- tentibus procreatio, seu dum imperfecte suppressæ sunt, seu ubi diurnæ fuere, vel malignæ sunt indolis. Memorabilem hac de re casum dedit WILLIS *d)*: hysterica circa 4<sup>to</sup> graviditatis mensem insultibus asthmaticis & crebra syncope a frigore suscepto correpta usurpatis per 14 dies remediis debitis convaluit quidem, at sesquimensis post quotidie mane post levem rigorem, oscitationes ac pandiculationes cum crebris vomitionibus, urinam reddebat fere quovis horæ minuto pallidam & aquosam, dolor lumborum, hypochondriorum, aliarumque partium simul aderat, sed nec calor crevit, nec sitis, nec pulsus. Ulinæ toto die mis-

sæ

*a)* Vide Histor. 4. n. 1. 2.

*b)* Vide §. 3. A, n. 1.

*c)* Obs. med. Cent. 2. Obs. 53.

*d)* De morb. convuls. Cap.

3. p. m. 301.

ſæ copia triplum potum æquabat. Vesper  
omnia ceſſarunt, urina citrina ac modica  
facta, ſomnus nocte tota moderatus. At  
mane ſequenti ad eandem horam acceſſio  
redit. Exactis ſic 12 diebus, præmiſſa  
V<sup>ae</sup> S<sup>e</sup> uſu cardiacorum ac præſertim R<sup>ae</sup>  
antimonii m. & v. ad gtt. 12 brevi poſt  
convaleuit. Ita & A. F. ALBERTINO a)   
binas obtigit videre tertianas, cum diabete  
unam, alteram cum ſudore colliquativo: am-  
bas una cum ſuis ſymptomatis cortex Pe-  
ruv. ſuſtulit, cujus ſub uſu in una dolor,  
in altera tumor brachii abortus, continenti  
tamen remedii uſu per ſubſecutas criſes  
uterque evanuit. Porro „ nonnunquam, in-  
„ quit SYDENHAMUS b), accidit, eſſi per-  
„ quam raro, ut ſenes, qui diu hoc mor-  
„ bo antea laborarunt, ac interea V<sup>ae</sup> S<sup>hus</sup>  
„ & catharticus imperite fuerint mulctati,  
„ in diabetem incidant, etiam febre jam  
„ perfecte fugata „. Et P. SENAC c) „ dia-  
„ betes (ait), qui ex iis febribus in pro-  
„ vectiori ætate impendere dicitur, non ni-  
„ ſi una vice ſe mihi obtulit: erat vir  
„ quadragenarius febre tertiana laborans, ea-  
„ que pertinaci; is tandem accedenti ingent-

ti

a) Comment. Bonon. T. 1.  
p. 411.

b) Epist. reſp. 1. §. 33. p.  
m. 41.

c) De recond. febr. in-  
term. tum remitt. nat.  
L. 1. C. 18. §. 12.

„ ti urinæ profluvio non pejus habuit, sed  
 „ intra 15 dies perfecte restitutus est „ .  
 WHYTT *a*) quoque virum 50 annis majorem  
 post diuturnam febrem in hoc malum inci-  
 disse vidit, uti & pannificem HERTOD *b*).  
 Denique I. B. SCARAMUCCIUS *c*) narrat  
 casum „ religiosæ, . . . quæ reddita immu-  
 „ nis a febre usu pulv. Peruv. cepit adeo  
 „ pati aquosi limpidaeque fluoris per urina-  
 „ rias vias profluvium, ut qualibet die pon-  
 „ dus ℥. 40 attigerit, cum sensu caloris  
 „ intensi in regione lumbari, cum siti mo-  
 „ lesta, virium dejectione, imi ventris ten-  
 „ sione elevatione & duritie, difficultate  
 „ anhelitus, internoque dolore in actû mi-  
 „ ctionis „ .

## §. 24.

9. METASTASES sani vel morboſi, v.  
 g. materiæ perspirabilis, arthriticæ, scabio-  
 sæ, &c. WHYTT *d*) varia sibi testatur oc-  
 currisse diabetis diuturni exempla a *materia*  
*arthritica* renes afficiente, qualem illius ca-  
 sum postea *e*) dabimus. In puero septenni  
 sponte evanida *scabies*, LANZONO *f*) teste,  
 Trnka de diabete. D dia-

*a*) Vide §. 69.

*b*) Vide §. 64. n. 3.

*c*) Misc. nat. cur. dec. 2.  
 ann. 9. Obs. 204.

*d*) l. c. C. 6. §. 3. c.) p. m.  
 139.

*e*) Vide §. 70.

*f*) Misc. nat. cur. dec. 2.  
 ann. 10. Obs. 91.

diabetem suscitavit, in quo urina quotidie ℥. 20 erat, potum multis ℥. superans; mensis tamen spatio malum est devictum. Diabetesne an enuresis potius a scabie repressa in rustico WEBERI a) dicenda? Ad enuresin malim pertinere. Idem ab exanthemate febrili retrogresso accidisse est observatum; E. I. NEIFELD b) memorat feminam 26 annor. 4<sup>o</sup> puerperii die ob immixta lochia febre acuta cum *miliaribus* prehensam, dum ista mox iterum cum augmento morbi recessissent, post præviam lumborum tensionem ac molestiam mejendi in diabetem nothum incidisse cum tanta siti, ut intra 24 h. mensuras 18 aquæ frigidæ epotavit, illicoque eas reminxerit. Urina erat alba pellucida sine sedimento, locoque calido per diem relicta ac refrigerata plures exhibuit particulas salinas splendentes internæ vitri superficiæ adhærentes. Donec oborto cum confertis miliaribus albis sudore ægra sensim penitus convaluit. Diabetis a leucorrhæa suppressa casum BALLONIUS c) retulit. Denique a *perspirabilis materiæ* suppressione Medicus quidam in se ipso diabetem esse expertus d). His adde *catarrhalem materiam* imprudenti medicatione ad

or-

a) Obs. med. fascic. 1. Obs. 14. p. 62.

b) Prim. phys. med. Vol. 2. Obs. 20. p. 219.

c) Conf. L. conf. 59.

d) Anual. Wrat. Tent. 35. A. 1726. Mart. Cl. 2. S. 1. p. 291.

organa urophora, velut in binis LISTERI ægris a) evenerat, transpulsam.

## §. 25.

IO. ISCHURIA *prægressa* non raro in diabetem definit, velut HARRIS b) notavit, post eumque HOFFMANNUS c) in matrona 28 annor. calculo olim ac passioni hysterica obnoxia, post multo autem pressorium dorsi, levique hypochondrii, cum aliquo tumore, dolorem perpetuum cum fastidio, inquietudine, alvo obstructa, & ischuria passa, quæ postrema in spurium desinit diabetem cum virium jactura, legitima dein medicatione superatum. Videtur autem in ischuria stagnantis urinæ copia vesicam, ureteres, pelvim, renumque colatoria, distendere adeo, ut facta hac dilatatione plus justo urinæ ad præsentem stimulum dato tempore secernatur. Favet asserto alia HOFFMANNI d) observatio: Comes quidam „ intra 10 „ horar. decursum ultra 12 urinæ mensuras „ . . . excreverat: & post aliquod tempus „ accedente alio graviore morbo defunctus at- „ que sectus ureterem dextrum. . . farcimini- „ nis instar expansum, quin ejusdem lateris renem in molem sinistro duplo majorem elevatum ostendit „ .

D 2

§. 26.

a) Vide §. 17. b) c).

b) Vide §. 59.

c) *Cons. & resp. med.*  
Cent. 2. Cas. 85.d) *Ibidem.*

## §. 26.

II. PARALYSIS. Unicum mihi, ac luculentum, hanc in rem suppetit exemplum GOERIIZII *a*): matrona 53. naor. mane cum marito post potum Theæ deambulatum exiit. In reditu debilitatam pedis dextrum cum vertigine ac integra virium prostratione quæta, ubi domum venit, aquæ apoplecticæ nonnihil sumens postea præsa est. Ad noctem hemiplegia ingruit brachio pedeque dextri lateris prorsus paralyticis factis, os distortum erat, cum impotentia litteram R in loquendo proferendi. Ad hæc accessit diabetes, qualibet fere  $\frac{1}{2}$  hora ad mictum urgens, lotio potum assumptum excedente. Si micturienti non mox ad manus erat matula, lotium contineri non valens involuntarie proluebat, aquæ fontis instar limpidum, cum siti, siccitate oris, calore, anorexia, dolore nuchæ, pectorisque oppressionem. Facta V<sup>te</sup> S<sup>e</sup> in pede paralytico, adhibitisque cum interius tum extrinsecus antiparalyticis remediis, diabetes die 6<sup>o</sup> desinens non amplius revertit.

## §. 27

II. TUMORES INTESTINORUM stercorei, verminosi, &c. seu isti ratione voluminis sui vesicam aut renes contingentis &

*a*) Annal. Wrat. Tent. 29. A. 1724. Jul. Cl. 4. Art. 12. p. 97.

& affricu perpetuo irritantis, seu ob irritatorum a contentis tumoris nervorum consensum, seu alia quacunq; ratione diabete[m] causent, perinde est; certis interea observatis constat, morbum ab id genus tumoribus fuisse excitatum, quos in intestinis producere consueverunt

a) *Fex stercorea* accumulata. HOFFMANNUS a) diabete[m] nomine sequentem insignivit casum: „ puella octennis. . . ingentem sordium alvinarum copiam, ob neglectam forte alvi depositionem, in intestinis accumulaverat. Accedebat dein crebrius urinæ stillicidium, cui Medici. . . varia traumatica aliave adstringentia audacter opponebant, & insuper fere habito alvinæ excretionis negotio, solam *R<sup>an</sup>* Rhabarbari vel CLAUDERI aperitivam timidi præscribebant. Sed aucto . . . molestissimo urinæ fluxu corpus ita debilitabatur, ut superveniente demum materiæ purulentæ excretionem ægra febre hectica consumpta decederet. Aperto. . . cadavere intestina tenuia mirum erant distenta, & in utroque hypochondrii latere intestinum colon durissimis iisque copiosissimis scybalis repletum, ut duplo majus videretur. Ren sinister a superincumbente colo compressus naturali major, &

D 3

„ ex

a) Suppl. Med. rat. syst. de morb. infant. præcip. Cap. 11.



„ ex parte purulento ichore refertus con-  
 „ spiciebatur. Unde facillimum erat judi-  
 „ catu, nimiam intestini coli distensionem  
 „ renis tubulis relaxatis ma orem humorum  
 „ affluxum & urinæ separationem proritas-  
 „ se „ . Similem huic observavit GILES a):  
 anus ad 64 annos nata in ima abdominis  
 regione tumorem nacta est durum & globo-  
 sum, ac intar uteri fœtum 6. 7ve mensium  
 continentis molilem, cum nullo alio sym-  
 ptomate præterquam perpetua mictione. Cum  
 tumor hic omenti vel mesenterii uterive  
 glandulosus esse crederetur, data emetica ac  
 valida cum cathartica tum diuretica, exterius  
 admotis emollientibus cum resoiuentibus; ac  
 incalsum: donec ægra post prægressum cor-  
 poris in rheda motum stimulo ad alvum po-  
 nendam orto copiam saburræ nigricantis non  
 numis olidæ binis vicibus deiecisset, unde  
 & tumor & mictio continuo evanere.  
 Anno post apoplexia tacta emeticis purgan-  
 tibusque datis convaluit. Sed insequente  
 anno tumor cum mictu revertit; cumque  
 purgantia & enemata ad salutarem, ut olim  
 erat, alvum provocandam forent irrita,  
 anus aucto in dies tumore fatis cessit. Ca-  
 davere secto tumor ille nil aliud fuit, quam  
 intestinum cœcum dilatatum in saccum, circ.  
 3 mensuras materiæ griseæ inodoræ subliqui-  
 dæ

a) Vid. LUSKÆ Auserl. Abhandl. aus den philos. Transact.  
 1. Theil n. 52. p. 134.

dæ continens ac vesicam urinariam premens, eamque ad mictum irritans.

b) *Vermes intestinorum*. I. H. FÜRSTENAU a) puerum vidit vix biennem, dum unus rolarium dentium exitum moliebatur, languentem cum anorexia, tenesmo, ac perpetuo urinæ limpidæ profluvio, cui sitis pertinax, maciesque comites erant. Datis anthelminticis & adstringentibus, ubi aliquoties lumbricos paucos cum purulenta mucosa cruore mista materia deiecisset, brevi convaluit. Ex eadem causa videtur ortum fuisse in SILVATICI b) puero septenni urinæ sublavæ enæorema habentis profluvium cum siti non adeo enormi, qui cum antea nocturna urinæ incontinentia laborasset, deinde serosam diarrhæam cum sopore, bulimo, ac vermium excretionem sustinisset, demum urinam copiosam post 6. 8. 10. 12 horas a potu reddere cœpit. Hucne etiam

c) *Herniæ* pertinent? certe in MORGAGNII c) & CAMERARII d) ægris vix aliud videtur culpandum, cui diabetes causa majori jure tribui posset.

§. 28.

13. SCABIES VESICAE. Ab hac I. P. LOTICHIUS e) crebram copiosamque mi-

D 4

ctio-

a) Act. nat. cur. Vol. 1.  
Obs. 61.

b) l. c. Conf. 41. fol. 234.

c) Vide Histor. 5. n. 2.

d) Vide Histor. 2. n. 7.

e) Conf. & Obs. med. L. 4.  
C. 5. Obs. 13. p. 398.

Etionem cum phymosi in viro nobili observavit.

---

## C A P U T I V.

### CAUSÆ PROEGUMENA ET PROXIMA DIABETIS,

§. 29.

De causis diabetis cum proegumena tum proxima dicturo, ne quid ambiguitatis intercedat, necessum est tres illius diversas species seorsim in examen vocare; quippe quæ haud secus, quam ipsæ illæ tres alvinæ excretionés diarrhæa serosa, lienteria, ac passio cœliaca, queis quoad excreta respondent singulis singulæ diabetis veri spurique species, peculiari ratione efficiuntur, & quemadmodum singularum urinæ, veluti totidem cujusvis diabetis notæ characteristicæ, ita causæ quoque ipsarum inter se ( ut scrutinio inito apparebit ), quas proximas dicimus, discrepant, quamvis PROEGUMENA, quam *in laxitate viarum urophorarum* non veteres modo, sed & nostri plerique, reposuere, communis omnibus esse videatur, Per vias autem urophoras non renes tantum, quos solos hodie ob laxitatem culpamus, verum alias quoque ( ut mox videbimus ) partes organicas intellexere, quæ ad citum  
assum-

assumpti liquidi e ventriculo ad renes aut vesicam transitum facere visæ fuerunt. In præsentī igitur dispiciendum erit, quid illud sit, quod laxitati organorum urophororum tanquam proegumenæ omnis diabetis causæ accedens efficiat, ac continuo ille præsens sit, seu ut PROXIMA CAUSA diabetis nunc præsto esse dici possit?

## §. 30.

LIENTERIA *urinalis* qua ratione oriri possit, nemo, quod sciam, gloriari adhuc potuit, ac se rem tetigisse. Qui eam admiserit, per commenta olim explicationem quæsierant: qui autem his rejectis meliora ignorarunt, negatum ivere id accidere potuisse, de cuius modo, qui fieret, eruendo desperassent. Qui explicare volebant, cur potus & nil mutatus & celerrime mingatur, cum crederent renales vias, quatenus ex aliis consuetis vasis humores suos suscipiunt, duplici huic phænomeno producendo esse omnino impares, studuerunt viam aliam detegere ad id expeditiorem. Et breviorē huiusmodi viam delitescere alicubi debere, alia etiam phænomena suadere videbantur, nimirum a)

1° Aqua frigida calenti corpori ingesta, momento pene iterum ex vesica excreta.

D 5

2°

a, V. HALLERI elem. physiol. T. 7. L. 26. S. 4. §. 3.  
p. 378. 194.

2° Aqua in cavum abdominis ad  $\frac{3}{4}$  jv. vj. immista, intra aliquot horas omnis resorpta & emicta.

3° Ascitis per vomitum, diuresimque solutio.

4° Renibus morbofis & destructis urinæ nihilominus præsentia in vesica observata.

5° Ureteribus ligatis, imo abscissis, urina in vesica reperta.

6° Corpora solidiora (ut spicæ, herbæ, femina, acus, &c.) cum urina e vesica excreta.

Quo factum est, ut complures a) clari viri breviorē aliam, quam renales sunt, viam dari debere tuiti sint. Sed in ea assignanda mire discreparunt.

### §. 31.

Solenniores ab iis in medium allatæ sunt fere b)

1° *Pori ventriculi & vesicæ*, HALLE-RO c) inorganici dicti, exhalantes alii, alii inhalantes, per quos ventriculus potum in cavum abdominis exhalare, vesica autem eum inde per poros inhalantes resorbere, statuebatur. Dari id genus poros certum est: ideo etiam sententia hæc præ aliis plures na-

a) Ibidem p. 310. ad f) citati

c) Ibid S. 2. §. 19. p. 329.

b) Ibidem.

naſta eſt defenſores *a*), præprimis vero MORINUM *b*) Academicum Pariſinum, licet multo ante ab aliis jam fuerit adoptata; etenim B. ALBINUS *c*) ſtatuit potum in ventriculo in vapores reſolutum per ejuſdem poros ſeſe in abdominis cavum ſubducere, indeque a poris veſicæ reſorberi, denuoque denſari.

2°) *Vaſa a ventriculo ad veſicam reſta euntia* Qui hæc aditruerunt, HIPPOCRATEM *d*) forte ſecuti videntur dicentem „ubi. . . venas. . . a ventriculo ad „ veſicam pertinentes amplas & attrahentes „ puer habuerit „ &c. Licet T. ANDREAE *e*) ſimile quid ſe in cane ac talpa vidiffe putarit.

3°) *Vaſa a ventriculo ad renes euntia* COLBATCH *f*) attulit.

4°) *Ductus ab inteſtinis ad renes* memorat C. CONSENTIN *g*).

5°) *Ductus a colo ad veſicam* alii *b*): quales

6°) *Ductus inter ureteres ac rectum inteſtinum*, inviſibiles tamen, adſtruxit CRAANEN *i*). Tum

7°

*a*) Ibid S 4 § 3. p. 280,  
ad *g*) nominatos.

*b*) Mem. de l'Acad. des  
Sci. 1701. vid. STREINW,  
1. Th p 587.

*c*) Diſſ. de diabete vero,  
Francof. ad Odce. 1689.

*d*) De morb. L. 4. FORS.  
T. 1. fol. 512.

*e*) HALLER l. c. p. 280.

*f*) Ibidem.

*g*) Ibidem.

*h*) Ibidem.

*i*) Ibidem.

7°) *Vas lymphaticum in venam renalem insertum* DIEMERBROECK a) huc applicuit; uti &

8°) *Vasa lactea a glandulis lumbaribus ad renes euntia* BARTHOLINUS b), *ad capsulas atrabiliares producta* NILOE c). Denique

9°) *Saccus juxta vertebrae lumborum situs ac sub ventriculo desinens* WINSLOVIO d) huc forte facere est visus; quem tamen HALLERUS nil nisi cœcam esse plicam notaverat. Alii alia sunt commenta.

§. 32.

Verum enim vero nec dari ejusmodi vias, nec phænomena eas poscere præclare evincit HALLERUS e). Nam quod ad phænomena superius (§. 30.) allata attinet, non est, cur eorum in gratiam nova urinæ via sternatur, siquidem viæ renales ad illorum rationem dandam sufficient. Etenim

1°) Potus aquosi celer transitus nil miraculi habet: quandoquidem hodie ducto calculo constat, intra horam plusquam lb. 9. aquæ e sanguine ad renes appellere, neque etiam urinam, quæ ictu oculi post potum assumptum majitur, esse postremo potui, sed prius

a) Ibidem.

b) Ibidem.

c) Ibidem.

d) Ibidem.

e) Ibid. §. 4. p. 380. 199.

prius jam alteri ingesto tribuendam, perinde observatum est. Porro notavit HOFFMANNUS a), cum ab aquis medicatis uberrimus mictus fuisset, ureterem unum farciminis instar fuisse amplum, renemque multo majorem. Hac ergo, & non alia, via ipsas has aquas celeriter copioseque fluxisse colligitur.

2°) Corpora solidiora, ut spicæ, herbæ, &c. cum urina excreta non aliud docent, quam quod morbosus e primis viis in vesicam patuerit alicubi transitus, idque ex eo patet, quod in ejusmodi urina plerumque simul aut pus aut stercoris aliquid fuerit repertum. Idcirco ulcus in intestinis tum adfuisse in vesicam labiis ejus accretam pervium est veri quam simillimum.

3°) Ureteribus ligatis, imo abscissis, si nihilominus urina in vesica reperta est, credibile est admodum, eam ante ligaturam abscissionemve ureteris factam illuc deluxisse, id quod prævie, uti oportuisset, exploratum non erat, ac proinde experimentum recte pro manco habendum est, præsertim cum idem hoc experimentum jam inde ab GALENO ad nostra usque tempora & a dextrimis anatomicis, & sæpenumero captum contrarium prorsus eventum exhibuerit, quod evenire utique nullo modo potuisset, si alia  
pro

---

a) Meus. consult. T. 1. Dec. 5. C. 1.



pro secretionē urinæ via præter renales superfuisset. Sed nec

4<sup>o</sup>) Renibus morbo pessumdatis urina in vesica reperta vias id genus arguit; nam MORGAGNIUS *a*) non abs re opinatur, in COHAUSENII *b*) virgine, quæ utrumque renem adeo scirrhosum habens, ut nec pelvis detegi potuerit, urinæ tamen limpidaë aliquid reddiderat, superfuisse particulas forte quasdam renum pelviumque pervias, quæ aquæ limpidaë nonnihil transmittere poterint, nisi potius per inhalantes vesicæ poros ex abdominis cavo resorptam quis mallet. Sed etiamsi nihil horum fuerit, superest, quod cum HALLERO *c*) reponamus dicente „ si aliquando rene suppurato „ urina in vesicam percolata est, factum „ hic idem est, quod etiam in ventriculo „ in viis ludoris, in cerebri ventriculis uti- „ que demum fit, quoties partes eæ acres, „ quas de corpore oportebat per renes & „ vesicam educi, per eam legitimam viam „ deponi non potuerunt. Sanguis enim „ ejusmodi lotii characterem constituentibus „ particulis oneratus, in omnia illa ca- „ va liquorem deponit, qui lotii sit odore „ & colore, etsi colorem renali simile in iis „ partibus nullum est „ . Denique cur ple-  
rum-

*a*) De sed. & caus. morb.  
Epist. 41. n. 2.

*b*) Commerc. lib. Norimb.

T. 13. A. 1743. H.  
25. Art. 2. n. 3. p. 198.

*c*) l. c. p. 334.

rumque semper obstructis morbose viis renalibus urina supprimitur, nec viis illis peculiaribus secreta excernitur, pereuntibus ægris?

5°) Aqua cavo abdominis injecta resorpta & emicta, uti & asciticorum diureti vel vomitu evacuata perinde vias peculiare urophoras non exigit, cum per renales ad vesicam, per alias consuetas ad ventriculum, deferri possit. Ex his itaque patet ad hactenus memorata phænomena explicanda nil opus esse peculiaribus viis urophoris assumendis.

### §. 33.

Vias autem, quas (§. 31.) varias variis adstruxerant, nec dari, nec si forte aliquæ earum dentur, pro celeriore potus in vesicam transitu servire posse haud difficulter conficitur. Ac primam quidem quod ad poros illos vesicæ & ventriculi attinet, quique plurimis hanc in rem idonei sunt visi, recte quærit HALLERUS a), qui fieri possit, ut presentibus poris vesicæ inhalantibus aquæ asciticorum, potusque copiosi, non ubertim per eos resorbeantur, urinasque & copiosas & tenues aquosas efficiant, sed crassæ sint istæ potius, panæ ac saturatæ? Tum etiam, qui positis poris vesicæ

ex-

a) l. c. p. 382.

exhalantibus, queis perinde est prædita, fieri possit, ut vesica a copioso lotio ad crepaturam usque, velut observatum A RELL *a)* testatur, distendatur? subducere se utique sensim lotium trans hos poros in abdominis cavum posset; siquidem fluidum eo semper, ubi minima est resistentia, feratur; neque ullæ obstant horum pororum valvulæ, quas precario KRATZENSTEIN hic assumpserat. Unde sequitur, poros memoratos haud ita in homine vivo pervios esse, quemadmodum in cadaveribus eos experimenta ostendunt; secus eadem in utrisque phænomena exhibere deberent. Hæc de poris ventriculi ac vesicæ. Universim autem contra omnes illas prius dictas vias pugnant sequentia:

1°) Cur præsentibus semper his viis non perinde semper lienteria urinalis præsto sit? SILVATICUS *b)* id jam rogavit. Quod si quis contendat, non solam ad id præsentiam eorum sufficere, sed vel renalium simul viarum obicem, vel istarum laxitatem, quæ nonnisi in morbis accidunt, ac præsertim in febribus, reponit MORGAGNIUS *c)*, laxitati id tribui non posse; hanc enim in TRINCAVELLII *d)* ægro potus gelidi assumpti

*a)* Chir. Geschichte im K5-nigl. Lazar. zu Stockholm angemerkt 2. Cap. n. 13.

*b)* l. Conf. 42. 235.

*c)* l. c.

*d)* Vide §. 1. A) n. 1.

pti nec efficere, nec aliunde natam admittere, potuerit.

2<sup>o</sup>) Cur in hominibus mercurio copiose usis, qui minimos quosque meatus corporis pervadit, nunquam illius aliquid in eorum urinis est conspectum, quaesivit PARSIA apud MORGAGNIUM a) ? id quod non diu accideret debuisset.

3<sup>o</sup>) „ Si propterea comminisci oportet, „ inquit MORGAGNI b), ductus a ventriculo ad vesicam tendentes „ quia potus nonnunquam immutati celeriter eminguntur, tunc perinde „ alios comminisci oportet ad „ cutem „ quandoquidem apud M. DONATIUM c) puella diu febre detenta mox a potu hausto liquidum sudabat eadem copia, qua biberat, eodemque colore, adeo ut subuculae a rubro vino colore rubro, albo vero ab albo jusculo, tingerentur, idque bina- rum hebdomadam spatio.

### §. 34.

Sed si nullae ejusmodi viae breviores suppetunt, qua ergo ratione potus non mutati per renes in vesicam deveniunt? Nonnulli id a non diluenda humorum in febribus spissitudine, renumque laxitate oriri opinati sunt; verum si consideremus nullam in ZACUTI d),

Trnka de Diabete

E

HIL-

a) l. c.

b) Ibidem.

c) De medic. hist. mirab. L. L. 4. C. 27. p. 261.

d) Vide §. 71.

HILDANI *a)*, SILVATICI *b)*, aliorumque complurium diabeticis fuisse febrem acutam, nulla insignis spissitudinis indicia, fatendum erit, aliam hentericæ urinalis causam esse debere. HALLERUS *c)* breviter se hac difficultate expediturus „ multa ( inquit ) copia „ ipsius aquæ puræ ita vias urinæ eluisse „ potuit, ut immutata transiret „ . Mirum sane! a tanto Physiologo tam parum dici potuisse. Quæro ergo, possitne sola celeritate præternaturali, qua potulenta in diabete versus renes laxos & vesicam urinariam peluntur, atque ex hac ocyus emejuntur, effici, ut mora hæc justo brevior haud sit sufficiens ad potulenti odorem saporem coloremque immutandum? Quæro, inquam, iudicio aliis relicto.

## §. 35.

COELIACÆ *urinalis* porro, seu *chylosi diabetis* causam proximam redditurus BOERHAAVIUS *d)*, qui alium diabetem non agnovit „ causa ( inquit ) ejus censetur nimia laxitas fibrarum in arterioliis, concurrens simul cum humoribus valde dilutis „ . Sed concursus hic laxitatis renum cum tenuitate humorum eodem, imo meliori quoque, jure diabetem spurium efficere.

*a)* Vide §. 17. *b)*

*b)* Vide §. 3. A) n. 1.

*c)* l. c. p. 384.

*d)* Instit. medic. §. 824

re valet, nec suppetet ratio, cur positis binis his vitiis jam chylosus jam spurius eveniat diabetes? cur non uterque semper, aut saltem unus idemque? Unde liquet, plus aliquid, quam solam renum laxitatem cum tenuitate humorum ad chyluriam producendam requiri. Quid vero illud sit, perinde adhuc ignoratur.

## §. 36.

SPURII *diabetis* denique causa proxima non minus, quam priorum duorum, Pathologorum ingenia torfit. Piget hic veterum disceptationes, calidæne an frigidæ intemperiei morbus sit iste diabetes, in medium adferre, videri apud ISR. MARCUM a) possunt. Perinde non est, cur de WILLISII b) colliquatione sanguinis ab acido sale multa dicam; exolevit. Nec veneno ARETÆI c) in sanguinem ingresso, nec N. PISONIS d) acri bilioso falso in renibus aquam eius vi attrahentibus, nec PARACELSI e) tartaro, plus est deferendum. Commenta hæc delevit dies. Vulgatissima hodie est sententia OOST. SCHACHII f), qui ab eadem causa spurium, a qua chylosum BOERHAAVE g),

E. 2 dia-

a) Diss. de diabete §. 10.

b) l. c.

c) l. c.

d) De corn. &amp; cur. præc.

C. H. affect. C. 33.

e) Opp. L. 2. Tr. 3. C. 1.

f) l. c. §. 6. 7. 8.

g) Vid. §. præced.

diabetem proficisci autumat „ causa (inqui-  
 „ ens) mirabilis adfectus in ipso sanguine  
 „ quærenda videtur, qui si quacunq; de  
 „ causa dissolutus & in serum conversus  
 „ fuerit, facile tantam lotio materiam suffi-  
 „ cere potest. Quod vero conversus ille  
 „ in aquam sanguis potius per renalia va-  
 „ sa exeat, id sane singulari renum condi-  
 „ tioni, & quidem nimix eorum laxitati  
 „ adscribendum videtur. Et certe hanc len-  
 „ tentiam videntur confirmare ea, quæ dia-  
 „ betem antecedere observata sunt; tum  
 „ ejusdem symptomata, nec non per expe-  
 „ rientiam comprobata curatio „. At ne-  
 scio profecto, utrum hæc illam tantopere  
 confirment, quin ei tantundem pariunt mo-  
 lestiarum, quantum conciliant probabilitatis.  
 Nam etsi, quæ antecedunt, eorum plurima  
 ita sint comparata, ut laxitatem renibus,  
 humoribus vero dissolutionem aquosam indu-  
 cere valeant, ut sunt tepidi potus aquosi *a)*  
 nimii, diuretica diu usurpata *b)*, abscessus  
 renum *c)*, ischuria prægressa *d)*, paraly-  
 sis *e)*, turgida fece aut vermibus intesti-  
 na *f)*, febres putridæ vel intermittentes *g)*,  
 &c. & quamvis roborantia adstringentia ac  
 plastica in curando hoc malo sint præci-  
 pua

*a)* Vide §. 16.

*b)* Vide §. 17.

*c)* Vide §. 19.

*d)* Vide §. 25.

*e)* Vide §. 26.

*f)* Vide §. 27.

*g)* Vide §. 23.

qua *a*); nihilo tamen secius haud pauciora supersunt etiam, quæ arguant, plus aliquid, quam solam renum laxitatem cum aquosa sanguinis tenuitate, ad spurium diabete[m] e[st]hendum requiri.

## §. 37.

Namque 1<sup>o</sup>) neque occipere neque desinere laxitas illa cum tenuitate tam cito potest, quam cito diabetes criticus in variolis, aliisque morbis, oriri ac subsistere *b*) solet: nisi id genus urinæ profluvium quis absque ratione diabete[m] dici debere neget.

2<sup>o</sup>) In diabete periodico *c*) quis dixerit laxitatem quoque cum tenuitate sanguinis, vel hancce saltem, per circuitus generari ac desinere? id quod utique fieri necessum foret, si diabetes his solis deberetur. Quid illud erat, quod per biennium in MORTONI *d*) infante, quoties dens aliquis moliebatur eruptionem, toties laxitatem renum cum sanguinis in aquam dissolutione, i. e. diabete[m] colliquativum produxit?

3<sup>o</sup>) In diabete modo cum ptyalismo *e*), modo cum leucophlegmatia *f*) alternas tenente, utut sanguinis in aquosum laticem dissolutionem concessero, ac certe alternam

E 3

re-

*a*) Vide §§. 63. 64. 67.

*b*) Vide §. 51.

*c*) Vide §. 4. n. 1.

*d*) Vide §. 59.

*e*) Vide §. 53. n. 1. b).

*f*) Vide §. 7. d).



renum cum vasculis glandularum salivalium in primo, cum vasculis cutis in altero casu laxitatem nemo, opinor, dabit, utpote cujus nec ratio nec necessitas intelligitur.

4<sup>o</sup>) Qui momentanea sanguinis dissolutio aut renum laxitas a Cort. Peruviano in SCARAMUCCII *a*) religiosa effici potuit? Numquid & horaria renum laxitas cum aquosa sanguinis dissolutione locum habuit in diabete, quo corripitur solebat NOLAEI *b*) „ octogenarius? qui cum biberet quadras mensuræ vini pomacei, inde nocte subsequente 3 mensuras urinæ mingebat „ . Et chiragricus ille *c*), cui ex usu cerevisiæ Fredericsdorffianæ diabetes noctu molestus mane usu infusi Theæ (quid SCHACHTII sententiæ magis adversum!) compecebatur? Hæc certe conciliari nequeunt. Sed minime omnium

5<sup>o</sup>) Urinæ tanta vis brevi tempore excreta, quantam nec potus una cum toto corpore in aquam colliquato exæquare potuit. Etiamne hic potus cum sanguine in aquam fuso „ facile tantam lotio materiam „ succinere potest „ ? id quod vel sola FONS CAE *d*) vestalis virgo evertit, quotidie ℥. 200 mingens, quæ si ℥. 200 etiam pen-

*a*) Vide §. 23.

*c*) Vide §. 17. a)

*b*) Encyclop. med. L. 3. C.

*d*) Vide §. 7. c.)

pendisset, cum ab omni abhorruerit potu, intra diem periisset: idque tanto etiam celerius MICHELOTI *a*) puellæ accidisset, quæ lb. 50. ponderans in acme morbi lb. 135 (i. e. lb. 85 plus, quam tota ægra ponderis habuerit) minxit. Sufficiens hæc, opinor, ad ostendendum, proximam diabetes spurii causam in renum laxitate ac tenuitate sanguinis aquosa reponi nullatenus posse.

## §. 38.

Insufficientem hanc causam in diabete perspicuus forte MEAD *b*) ad alia ( licet haud feliciter ) advertit animum, ac spurium diabete non renum, ut vulgo hæctenus habebatur, sed hepatis morbum esse voluit, cujus proximam causam in *vitiata bilis miscela* reposuit. Asserti hujus theoriam, si rite mentem Cl. Viri assequor, ita condidit: homines otiosi, si vino simul indulgent, ortamque inde sitim nimio potu refrigerante restinguere student, potissimum diabete corripuntur. Nam e duplici illo potu plurimum aquæ in corpore præsto est; quid sit? sal natus bilis, ope cujus solius oleosa aquosis miscibilia fiunt, quoniam naturali copia est paucior, quam ut omnem illam aquæ vim cum oleo intime jungere queat, plurimum aquæ cum tenuiore tantum olei parte

E 4

ad

*a*) Vide §. 71.*b*) Expos. mech. venen. Tentam. 1. p. m. 39.

ad renes urgebitur, perpetuusque ejus affluxus urinarios canales multum distendet, laxabitque, ut sic deinde ex ipso etiam sanguine plus lotii secernatur. Crassior autem olei in bile pars suo orbata sale, in tenuioribus hepatis tubulis relicta, obstructions ibidem formabit; hæc vero secretionem bilis minuendo minuent eo magis copiam salis biliosi, qua sensim propter obstructions dictas incrementis deficiente augebitur perpetuo difficultas aquæ cum oleo miscendæ: idcirco diabetes etiam incrementis, ob majorem semper aquæ ad renes affluxum, a quo laxitas perinde sensim evadet major. Ne vero theoria isthæc puram saperet hypothesin, illam ad naturam contendit, idque sequentibus argumentis:

1<sup>o</sup>) Diabetes est cum ictero similis; iste vero a bile provenit: igitur & ille. Esse vero similem suadent aperta diabeticorum cadavera, quorum in hepate MEAD semper steatomatosi quid invenit, simileque materiæ illi, quæ sæpe in ictero confirmatiore per alvum excernitur, licet hæc non ita dura sit.

2<sup>o</sup>) Salis memorati in urina defectum probat diabetici lotii dulcedo, quæ ab aqua bilis suo orbate sale provenit; nam aqua e destillatione bilis obtenta, ac jam sine sale bilis existens, dulcis est, moschumque redolet, sicuti violas quandoque redolere urina

initio icteri observatur: quod rursus diabetis cum ictero similitudinem probat.

3<sup>o</sup>) Circa mortem in diabete fluxu urinæ imminuto, lotium est amarum; quod a bile est.

4<sup>o</sup>) Curatio morbi fit per salem fixum exhibitum, qualis est in aqua calcis vel Bristolienæ a), qui defectum salis biliosi suppet, sicque miscelam aquæ cum oleo perficiens diabetem sistit. Hæc sunt, quæ MEAD novam suam theoriam in acceptis debuit. Forte huic Auctori quasi per somnium præluxit CONRINGIUS b), qui causam diabetis a defectu particularum sulphurearum, nimiam sanguinis fluiditatem, dum iusta adfunt copia, impediendum repetit. Sed unde unde MEAD suum hauserit theorema, adeo sibi satisfacisse visus est, ut audacter alibi c) scripserit, rem ab se certissimis esse demonstratam indicis. Verum nec WINTRINGHAMO d), nec aliis, nec mihi adeo theoria illa demonstrata est visa, ut non alia certiore opus haberet demonstratione, si modo demonstrari possit.

### §. 39.

Nam quod ad statomata hepatis attinet, ubi unquam evicit MEAD, illa non

E 5

ad

a) Vide §. 64. n. c.

b) Diss. de diabete Helmst.

1676.

c) Nou. & præc. med.  
Cap. 8. Sect. 2.

d) Ibid. in not. & obs. p.

m. 145.

ad effectus potius diabetis, sed causam esse referenda? Porro nihil de steatomatoso hepatis statu in cadaveribus diabeticorum seu RUYSCH *a)*, seu MORGAGNI *b)*, HOFFMANN *c)*, IUNCKER *d)*, PAWIUS *e)*, BALLONIUS *f)*, seu alii vel verbo meminere; imo CAMERARIUS *g)* in Quæstore præter vesicam urinariam nonnullasque partes ei proximas „ reliquum corpus in partibus principalibus... adhuc sic satis bene „ constitutum „ diserte notavit, perindeque FÜRSTENAU *h)* in suo diabetico præter ventriculum extenuatum, intestina flatibus expansa, ingentemque lienem, in abdomine „ reliqua omnia salva „ fuisse indicavit. Unde elucet, steatomatosum hepar nullatenus proximam diabetis causam in vitiata bilis miscela reponendam esse arguere, & ne in potatoribus quidem otiosis aut diabetes ( imo perquam raro ), aut steatomatosum hepar adeo frequenter obveniunt, licet isthoc sæpius, quam ille, occurrat. Quod vero lotium diabeticorum dulce sit, credibilius id est a chylo aut lacte, quam a bilis aqua, oriri, quippe quæ tam enormi urinæ copiæ, quanta sæpe est *i)*, sapore suo imbuendæ  
 sus-

*a)* Vide §. 19.

*b)* Vide Histor. 5. n. 2.

*c)* Vide §. 25.

*d)* Vide §. 22.

*e)* Vide §. 8.

*f)* Vide §. 20.

*g)* Vide Histor. 2. n. 7.

*h)* Vide Histor. 4. n. 5.

*i)* Vide §. 7. c).

insuffectura haud videatur. Et cur, quæso, nunquam in diabete etiam summo icterus observatus est, si semper steatomatosum ille supponit hepar? Neque etiam curatio per salem fixum plus ponderis habet, cum illa aliis quoque remediis sale dicto vel carentibus vel non usque adeo abundantibus perfici queat. Quid quod hodie dubitare admodum cœperint nonnulli, utrum bili facultas insit aquosis oleosa adunandi *a*). Sed ut omnia hæc demus, etiamne incredibilis illa lotii subinde copia e vitiata bilis miscela intelligi poterit? nunquam sane: adeoque tota diabetes ratio sufficiens in illa neutiquam continetur.

§. 40.

Hæc ipsa forsitan expendens I. MARCUS *b*) credidit, non tam in veritate, quam theoria potius, sententiæ MEADII erratum esse. Omnium primum, cum inspectis cadaverum diabeticorum sectionibus anatomicis intelligeret, sæpenumero non in hepate sed solis renibus vitium fuisse deprehensum *c*), MEAD vero hepatis steatomata se vidisse testaretur, utrique in sua sententia locum dandum esse censuit, idque ita, ut ex primo casu protopathicam, ex altero deuteropathicam renum laxitatem statueret, quarum hæc a  
con-

*a*). Vid. MARSHALL præl. in  
inst. med. BOERN. ad §. 99.

*b*), l. c. §. 11.  
*c*), Vide §. 39.

congestione humorum versus renes tanquam effectus congestionis, illa vero velut ejusdem causa consideranda sit. Atque sic diabetem alium a nativa renum laxitate, alium ab hepate obstructo derivavit, prioremque chylolum, posteriorem serosum colliquativum (a bile propter obstructum hepar non secreta, in sanguine relicta, eumque fundente in aquosum laticem) esse voluit. Sed perspicaciter providerat, non satis ad creandum huncce diabetem esse, si sanguis a bile solutus adsit, quandoquidem in omni ictero diuturniore diabetem consequi oporteret, in quo sanguis in aquam solutus non tam ad renes, quam varia potius corporis cava confluens hydropes causat: idcirco, ut confluxum hunc ab cavis ad renes averteret, recte judicavit, præsentem illa sanguinis dissolutione præsto simul esse debere occasionalem causam, quæ solum jam sanguinem ad renes continenter determinet. Verum nec bina ista conjuncta adhuc ideam diabetis dati absolvent, restabatque etiamnum causa, ob quam lotii copia potus quantitatem exsuperans adesset, e sanguine dissoluto ad renes confluente non deducenda. Eapropter serosi hujus diabetis causam proximam tandem ita constituit, ut proegumenam in renum laxitate ac tenuitate sanguinis aquosa (per bilem ab obstructo hepate non secretam inducta), procatarteticam vero in occasionali re, quæ & san-

sanguinem illum tenuem, & humidum simul aereum per cutis ac pulmonum vasa resorptum ad laxos renes alliciat, reponeret, quarum ex concursu demum causa proxima diabetes concipitur. Elegans mehercule theoria! tamen, ut eam amplectar, a me impetrare nequeam. Si quis a me rationes exegerit, en illas! 1<sup>o</sup>) Obstructiones hepatis in cadaveribus diabeticorum tamen MEAD (ac præter ipsum vix alius ullus) repererit, reperitne simul eas diabete præcessisse? Quid si hæc obstructiones in acmæ primum diabetes occipere, ubi videlicet emicta omni pene parte sanguinis tenuiore iste in systemate venæ portæ ob spissitudinem stagnare cœpit? Detracto hoc postulato omnes reliquas in data theoria confutationes labare est necesse. 2<sup>o</sup>) Nulla prorsus ad diabete spurium efficiendum opus est prævia sanguinis attenuatione, ut pluribus inferius videbimus. 3<sup>o</sup>) Causa illa occasionalis sanguinem a bile liquatum ad renes determinans vel extra renes uspiam est, tuncque precario assumitur, nec demonstrari potest. vel in ipsis residet renibus, atque tum nil opus est obstructo hepate, nil bile sanguinem fundente; posita enim hac in renibus causa omnia reliqua suapte profluent, quæcunque ad absolvendam diabetes hujus ideam pertinent.



## §. 41.

At vero M. LISTERO *a*) nec renes nec hepar hoc in morbo culpare placuit; sed „ morbi ( ait ) primaria sedes stomachus „ est, & intestina tenuia „ . Qui quæso? dum nempe ex inflammatione laborant. Nolo futiles theseos hujus ratiunculas hic minutim adferre, quando inspecta diabeticorum cadavera fallitatem opinionationis istius clare detegunt. Alia etiam in gastricidæ ac enteritidæ adsunt symptomata, quæ frustra in diabete perquiras, tamen nonnulla utrisque sint communia. Et cur non in omni seu gastricidæ seu enteritidæ diabetes etiam adest? In chyluria quidem placuit Medicis Vratislaviensibus *b*) ventriculi debilitatem indigestionesque pro causa morbi statuere, eo quod viderent digestionem prospicientibus remediis malum fuisse emendatum, cui rei COHAUSENTI *c*) quoque calus favere videtur. Verum si consideremus, remedia id genus digestionem ex atonia ventriculi læsam restituentia esse e classe roborantium, quæ renum quoque laxitatem emendare queant, continuo intelligemus, non tam a ventriculi, quam renum potius, atonia hisce remediis sublata morbum desuisse. Quid quod

---

*a*) l. c. p. m. 28. sq.

*b*) Hist. morb. Vrat. A. 1700. p. m. 202.      *c*) Vide §. 15. n. 13.

quod remedia dicta, nisi potenter simul in nervos agant, vix quidquam effectura speres a).

## §. 42.

E. BARRY b) omni se difficultati, quæ ad proximam diabetis causam eruendam pertinet, subducturus, illum in 4 genera, totidemque causas proximas, dispescuit, unum chylosum, ubi chylus nondum satis subactus per laxatos renum tubulos trajicitur; sed quæ causa est eum illuc determinans? soli enim renum atoniæ id adscribi non posse alibi c) dictum est. Alterum calculosum, uti calculi renibus impacti urinam per vasa non obstructa omnem fecerni, renemque sic laxari & ampliari faciunt; sed cur non omnibus in calculosis diabetes oritur? Tertium hepaticum, a vitiata bilis secretione sanguinem attenuante, quam sententiam adoptavit MARCUS d), cujusque antea e) jam nodos vidimus. Quartum nervosum seu spasticum, ubi urina a spasmis in systemate urophoro excernitur alba insipida & copiosa: sed si sola renum atonia non sufficit ad proximam diabetis causam, etiam eorum spasmi non sunt suffecturi. Et cur non BARRY quin-

tum

a) Vide §§. 65. 66.

c. Vide §. 35.

b) Comm. de reb. in sc. nat.

d) l. c.

&amp; med. gest. Vol. 9. P. 3.

e) Vide §. 40.

Att. 16. p. 509. sq.

tum quoque diabetem, sc. paralyticum a) adstruxit? Quidquid<sup>2</sup> sit, contra 3 posteriora ejus genera eadem semper consistet difficultas & quæstio, qui fiat, ut solæ eorum causæ tantam urinæ copiam, quæ pondus cum potus tum corporis totius multum excedit, proliciant?

### §. 43.

Si quid ergo in re adeo obscura valere conjectura potest, existimo ego ad spurium diabetem producendum præter laxitatem vasorum renalium nil aliud porro requiri, quam peculiarem in systemate urophoro, præsertim vero in renibus, stimulum, qui non solum potulenta, humoresque animales ad renes copiosius solito alliciat, sed ipsum etiam humidum atmosphæræ in vasa cutis pulmonumque inhalantia continuo imbibitum eodem loci determinet. Etenim

1<sup>o</sup> *Stimulus* ille, unde unde sit, e plurimis phænomenis ostendi potest & ejus existentia & præcipua in renum fabrica ejus sedes. Namque

a) Periodicus diabetes absque id genus stimulo ne concipi quidem potest b).

b) Ingesta omnia diabetem producere observata c) acre aliquid seu natura sua seu

co-

a) Vide §. 16.

c) Vide §§. 16. 17.

b) Vide §. 4. n. 1.

cogente vehiculo, in quo assumuntur, renes petens continent, ne aquosis quidem potibus exceptis, in quæis vel Theæ aroma vel fabæ Coffeæ oleum empyreumaticum, vel simile quid repertum est.

c) Cantharidum extrinsecus applicatarum a) energia in systema urinofum nemini est ignota.

d) Vermes b), abscessus c), calculi d) renum num non manifestum in iis stimulum arguunt?

e) Spasmi hysterici e) si in renibus contingunt, non absque stimulo contingant, oportet; cum secus nulla foret ratio sufficiens, cur & eveniant, & potius in renibus, quam uspiam alibi. Enati vero semel, aucto ibidem humorum motu uberiores lotii secretionem teste WHYTT f) efficiunt:

„ vera (inquit ille, de hysteriarum copioso urinæ aquosæ profluvio agens) symptomatis hujus ac genuina causa est semper eadem, adauctus nempe in secretoriis renum vasis motus, quæ simul aliquo in gradu contrahuntur; a primo est lotii augmentum, ab altero pallor. Fatendum tamen est, colorem huncce maxime a ceteriori urinæ secretionem pendere, ut quæ

Trnka de Diabete

F

„ prius

a) Vide §. 17. c) .

b) Vide §. 18.

c) Vide §. 19.

d) Vide §. 20.

e) Vide §. 21.

f) l. c. p. m. 116. sq.

„ prius vesicam relinquat, quam tenuiores  
 „ ejus partes denuo refoveantur, sicque  
 „ tempore destituatur odorem saporem coo-  
 „ remque sibi alias consuetum contrahen-  
 „ di „. Ex modo dictis perinde

f) Pathemata animi qui diabetem per-  
 coortum in renibus stimulum inducant, col-  
 ligitur a).

g) Febres b) ac metastases c) variae,  
 qui stimulum renibus indere queant, res est  
 vulgatissima.

h) Ischuria praegressa d) nec non pa-  
 ralysis e) manifestam renibus atoniam indu-  
 cunt, qua posita facilius liquida eo ruunt,  
 quae vel minimo praedita stimulo acri idem,  
 quod de ingestis paulo ante dictum est,  
 efficere valent.

i) Nec tumores intestinorum f) nec  
 scabies vesicae g) alios a prius dictis habent  
 explicatus.

k) ALLENII b) femina alternis vici-  
 bus diabetem ac ptyalismum passa alternum  
 id genus stimulum abunde probat.

l) Curatio vero num aliud suadet?  
 Purgantia stimulum loco movent, opium  
 obtundit, nervina minuunt ejus in nervos  
 energiam, dum ipsorum irritabilitati prospici-  
 unt, plastica inviscant, &c.

2<sup>o</sup>) Po-

a) Vide §. 22.

b) Vide §. 23.

c) Vide §. 24.

d) Vide §. 25.

e) Vide §. 26.

f) Vide §. 27.

g) Vide §. 28.

h) Vide §. 33. n. 1. b) :

2° Posito jam stimulo nihil est porro opus ulla prævia sanguinis in laticem aquosum toto in corpore dissolutione; nam ubi sanguis uberius ad renes ob stimulum affluerit ex atonia capaciores, eodem profus modo copiosorem laticem aquosum dabit, quemadmodum eundem in statu non morbofo parciorem præbet: siquidem liquor hic mirabilis ita natura sua sit comparatus, ut omnis in unius speciei humorem animale seu sanum seu morbosum converti possit in dato aliquo corporis loco, in quo stimulus ad id efficiendum reperitur. Sic in magnis ulceribus in pus, ichorem, saniem abit; in summis inflammationibus quotiescunque eductus, aut quacunque copia, meram pene crustam lardaceam præbet; in ptyalismo mercuriali omnem cruorem in mucum & salivam, si voles, converteris; in tumoribus lymphaticis apertis, nisi percurentur, quod raræ est felicitatis, omnis vix non sanguis sensim forma feri ac lymphæ ex apertura exstillat, &c. Hinc quemadmodum ridiculum foret v. g. seminalis profluvii causam proximam in laxitate osculorum vesicularum seminalium cum prævia sanguinis in semen degeneratione, vel ptyalismi in laxitate ductuum glandularumque salivalium cum sanguinis prævia in salivam ac mucum solutione, &c. statuere, cum humores isti in organis suis a copiosius affluente illuc sanguine tan-

ta copia fecernantur: ita nihil in diabete opus est prævia illa sanguinis in aquosum laticem dissolutione, ut quæ sine prævia univerforum corporis vasorum laxitate evenire nequeat, qua posita quæram, cur potius diabetes, quam hydrops, quam diarrhæa, quam ptyalismus, &c. oriatur, quando eadem ubique vasorum est laxitas, eadem sanguinis aquosa tenuitas? ac plura hujusmodi.

3<sup>o</sup> Humidum atmosphæræ in diabete spurio per inhalantia pulmonum ac præsertim cutis vasa resorberi, excessumque illum urinæ supra potulenta huic ipsi resorpto humori tribuendum esse multa sunt, quæ persuadent. Non enim potum cum omnes etiam totius corporis humores tantum posse largiri lotii tunc, cum pondus hujus excreti majus est pondere & potus assumpti & totius corporis, in confesso est: proinde cum excessus hujus ratio in corpore ipso non sit, extra ipsum corpus sit, oportet. Proximum autem vero est, rationem excessus dicti in humido aereo intra corpus resorpto contineri, quando resorptio hæc momentosis argumentis probari potest *a*). Sane in ascite nonnunquam intra datum tempus plus aquarum brevi post paracenthesim denuo colligi observatum est, quam fuerit ingestum potu-

*a*) Vid. HALLER, l. c. T. 5. L. 12. S. 2. §. 20. p. 90.

potulenti : quo in casu infricto abdomini oleo ascites curabatur *a*). Numquid obturatis oleo cutis poris, cum humidum aereum penetrare in abdomen non posset, ascite desinente, non fuit humidum aereum in causa prius, quod eundem effecit? Numquid non sola fascia in WHYTTII *b*) ægro abdomen lumbosque arcte ambiens compressis osculis cutaneis inhalantibus, ne quidquam ex aere humidi in eadem se insinuare posset, effecit, ut diabetes desierit? Quæ cum ita sint, non abs re suspicari licet, interdum omnem pene lotii in diabete spurio vim a solo hoc atmosphærico humore ac potu assumpto proficisci citra ullam corporis ægri colliquationem; cum DOLAEI *c*) diabeticus excretis ultra omnium ingestorum pondus libris 370 post 30 dies morbi non nisi lb. 6 de pristino corporis pondere amiserit, quæ utique per alias etiam, non unice urinarias, vias pessumdari potuere. I. MARLIANUS *d*) jam seculo XV. excessum urinæ in diabete spurio ultra potulenta ab aere petiit, hac sola re a vero aberrans, quod eum ipsum absorptum in aquam converti automarit.

F 3

CA-

*a*) Vid. P. C. MEDICUS samml. von Beob. aus der Arzn. 2. Band. 4. Abth. S. 2. P. 169. sqq.

*b*) Vide S. 70.

*c*) Vide S. 7. c)

*d*) Apud M. BONAT. l. c. p. 260.



## C A P U T V.

## D I A G N O S I S D I A B E T I S.

## §. 44.

Si quis triplicis diabetes a) definitionem, causas, ac phænomena rite expenderit, haud difficulter præsentiam ejus agnoscat. Namque 1<sup>o</sup>) *Lienteria urinalis* adesse scietur, si urina ocys a potu missa hujus colorem odorem saporemque, interdum ipsam quoque ejusdem copiam, habuerit. Perinde 2<sup>o</sup>) *Spurius diabetes* indubius erit, ubi urina cito a potu reddita fuerit aquæ limpidæ consimilis potuque assumpto copiosior. Denique 3<sup>o</sup>) *Chyluria* præsto erit, ubi in lotio lacteo post aliquod tempus subsidit sedimentum chyli lactisve indole præditum. Omnium tamen promptissime lienteria urinalis noscitur, quod & characteres habet manifestos, & nulla alia affectio, cum qua confundi posset, illi est affinis. Perinde ob manifesta sua indicia spurius diabetes facile cognoscitur; tametsi frequens micturicio cum illo quidpiam commune habeat. At chyluria operosius ab aliis urinis eundem morbum mentientibus discernitur, adeo ut illæ non satis cautis Medicis interdum imposuerint, ac pro chy-

a) Vide §§. 3. 4.

chyluria vera habitæ fuerint. Quapropter quemadmodum cum diabetes nothus a micturitione crebra non diabetica, tum urina chylosa ab aliis eandem mentientibus rite discernenda sit, in præsentì expendere oportet.

§. 45.

*Micturiti*o non diabetica a duplici causa provenit, sc. a passione hysterica vel nativa vesicæ parvitate.

1<sup>o</sup>) *Hysterica* micturiti<sup>o</sup> a vero diabetico urinæ aquosæ & copiosæ profluvio, cujus alibi a) meminimus, vix nisi diuturnitate temporis ac lotii supra potulenta excessu non usque adeo insigni differt, ac pro temporario diabete haberi potest; cum mictus urinæ limpidæ aquosæ & creber sit, & copiosior interdum potu; tantum quod symptomata vehementia, quæ sola morbi intensitas ac diuturnitas major progignit, desiderentur.

2<sup>o</sup>) *Nativa*, quæ a vesicæ vitiosa parvitate est, ubi minima quæque lotii copia, cum majorem vesica parva capere nequeat, mox excernitur, præter mictionis frequentiam nihil cum diabete spurio commune habet; nam nec ocysus a potu homo mejit, nec plus quam bibit, & urina per omnia

F. 4

est

---

a) Vide §. 21.

est sanorum similis. Hujus commatis casum  
 TIMAEUS a) observavit: „ S. I. . . a pri-  
 „ mis incunabulis frequenti mictione urge-  
 „ batur adeo, ut raro ultra horam unam  
 „ vel ad summum duas ab urinæ excretionē  
 „ se contineret, & hoc citra dolorem,  
 „ etiam quoad cetera sanus & vegetus. . .  
 „ Cum. . . in conflictu sclopo trajectus oc-  
 „ cubuisset, cadaver. . . aperui. Visceri-  
 „ bus omnibus, etiam renibus, naturaliter  
 „ constitutis & ex omni parte salvis, sola  
 „ vesica adeo parva, ut vix ovi auferini  
 „ magnitudinem adæquaret, & liquoris un-  
 „ cias tantummodo 4. cum dimidia conti-  
 „ neret „. Simili mictionis frequentia ali-  
 um etiam laborasse Cl. Auctor b) novit, qui  
 singulis ferme horarum momentis ad mejen-  
 dum assurgere cogebatur; licet cetera & o-  
 ptimi esset habitus, & temperans, nec ullis  
 aut renum aut vesicæ, aliusve partis morbis  
 obnoxius: ut itaque propius verum esset,  
 huic quoque exiguam fuisse vesicam, quæ  
 parvam quamlibet urinæ quantitatem excer-  
 neret. Exiguæ id genus vesicæ, qualem  
 TIMAEUS viderat, PORTAL c) quoque in  
 femina repertæ meminit, licet de prægres-  
 so mortem morbo constaret nihil.

§. 46.

a) l. c. Casu 44.

b) Ibidem.

c) Vid. RICHTER Biblioth.

Chir. Vol. 3. p. 424.

## §. 46.

*Lactiformes urinæ* porro chyluriam æmulantes complures omnino sunt, nempe urina 1<sup>o</sup> arthriticorum, 2<sup>o</sup> purulenta, 3<sup>o</sup> mucosa, 4<sup>o</sup> febrilis, 5<sup>o</sup> puerorum gulosorum ac verminosorum, 6<sup>o</sup> quam PLATERUS & SWIETENIUS in se ipsis observarunt, &c. Omnes tamen facile a chyluria discernentur, modo hujus characteres, quos omnium planissime descripsit STOELLER a), prius recte teneantur, quos sequentia absolvunt phænomena:

1<sup>o</sup>) *Color* urinæ lacti plus minus diluto similis, imo interdum lac pingue referens. Hoc colore prius dictæ urinæ vix non omnes destituuntur, tamen si albidum turbidumque liquoris formam præferant, ac minime omnium ad eum accedunt febriles, verminosorumque & gulosorum puerorum urinæ.

2<sup>o</sup>) *Fætor* nec putris imo nec natus urinarum in chylosa urina percipitur, etiam si per plures dies asservetur, quod & TIMÆUS b) & STOELLERUS c) præprimis notaverat. Omnes autem reliquæ urinæ, si non putridum morbosum, urinosum certe fœtorem spargunt, præsertim diutius in vase asservatæ, ac vel maxime purulentæ & calculosorum urinæ.

F 5

3<sup>o</sup>)

a) l. c.

c) Vide §. 61.

b) Vide §. 3, A) n. 2.

3<sup>o</sup>) *Seceffus contentorum* crassiorum a tenuioribus in chylosa urina, ob intimam partium utrarumque miscelam adeo lente ac tarde contingit, ut id vix ante 24 horas evenisse STOELLER a) observavit. Omnes autem aliæ lactiformes urinæ celerius depouunt sedimentum, aliæ mox ut conquieverent, aliæ haud ita multo post, prout nempe natura earum secum fert.

4<sup>o</sup>) *Sedimentum* autem hocce cum in chylosa tum aliis lactiformibus urinis alias & alias exhibet dotes, ut ex his ipsis ingens illarum discrimen innotescat: & quod ad sedimentum lotii chylosi attinet, ejus

a) *Copia* tanta plerumque est, quanta nusquam ex ulla alia urina: TIMAEI b) æger tantam ejus vini suis in urinis habuit, ut plerumque dimidium matulæ repleverit; STOELLERI c) autem in ægro  $\frac{3}{4}$  urinæ una vice missæ effecerat.

b) *Miscibilitas* porro sedimenti hujus cum sua urina est admodum prompta, & agitato vase penitus iterum parti aquosæ sese jungit.

c) *Indoles* denique quoad sensibiles suas qualitates ea est, ut nulla non earum chylo lactive sit propria, dum aliorum sedimentorum alborum notæ, modo rite examina-

a) Vide §. cit.

c) Vide §. 63.

b) Vide §. 9. A) n. 2.

men sit institutum, manifeste ab iisdem discrepant, ac præprimis calcareum arthriticarum aut calculosarum urinarum sedimentum; istud enim, præterquam quod celeriter ac minore multo copia deponatur, simul etiam sensim induratur in calcaream substantiam, quæ analysi chemicæ subjecta indolem suam eo etiam clarius exhibet, cujus rei luculentum exemplum protulit C. F. HUNDETMARK *a)*. Quid quod calcareæ id genus urinæ criticæ & cum levamine ægrorum contingere soleant, dum chylosa febrem lentam cum consumptione corporis inducit? His itaque characteribus neglectis accidit nonnunquam, ut lactiformes hujusmodi urinæ pro chylosis fuerint perperam habitæ. Cujus profapix erat, quam L. SCHROECKIUS *b)* chylosam credidit, dum interea sedimentum ejus nil nisi calculosæ terræ puls fuisse censenda est, quippe qualis postea cum calculis in cadavere est reperta. Perinde nil nisi calcaream materiam infuisse urinæ, cui mictionis chylosæ nomen V. A. MOELLENBROCCIUS *c)* indidit, vero est simile, quam vir arthriticos & nephriticos dolores prius aliquamdiu perpeffus, per aliquot hebdomades cum lævi hypochondrii do-

*a)* Diss. de urin. cretac. apud SANDIFORT Thes. Diss. Vol. 1. n. 19.

*b)* A&N. nat. cur. Vol. 1. Obs. 247.

*c)* Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 1. obs. 19.

dolore, anorexia, corporisque atrophiam ex-  
cernebat, sedimentum instar cretæ albæ  
deponentem; nisi forte dolores memorati  
non tam arthritidis & calculi, quam chy-  
luriæ potius, effectus fuerint.

§. 47.

Quod si præter allatos urinæ chylosæ  
characteres ab aliarum urinarum lactiformium  
notis dissidentes, ad harum simul causas, ple-  
rumque manifestas, respiciamus, eo certior  
evadet diagnosi. Est tamen genus quod-  
dam urinæ lactiformis, cuius etsi de causa  
liquido non constet, notas tamen adeo præ-  
bet a chylosa urina difformes, ut facile ab  
eadem discerni queat. Etenim dum ex  
urethra fluit, lac refert; non tamen totum  
locii filum est lacteum, sed vel prima tan-  
tum vel postremam vel alia quæcunque ejus  
pars intermedia candicat. Ut primum au-  
tem urina in vase conquievit, album illico  
sedimentum ponit, exigua copia, falsique  
saporis. GALENUS a) illud crudo succo  
comparabat. SWIETENIUS b) „ vidit aliquoties  
„ in se ipso aliquot post partum horis, &  
„ in primis post validam deambulationem,  
„ largiori prius jentaculo sumpto, urinam,  
„ quæ turbida & lactea fere erat ipso mo-  
„ mento, dum mittebatur, & statim album  
„ chy-

a) De alim. Facult. L. 1. C. 3.

b) l. c.

„ chylis simillimum sedimentum deponebat.  
 „ Postea & in aliis similem urinam aliquo-  
 „ ties observavit „ . Sed nihil de indole  
 & causa pronunciaverat. Pariter MOEL-  
 LENBROCCIUS *a)* refert SCHOEFERUM hoc  
 eodem affectu Lipsiæ sæpius per menses ali-  
 quot fuisse detentum. Omnium autem opti-  
 me de hacce urina egit PLATERUS *b)*, qui  
 in pueritia crebro inter mingendum ardo-  
 re vexatus, rarius vero postea, ubi demum  
 uxorem duxit, in mictum album incidit; ve-  
 speris mingenti urinæ prima pars turbida ac  
 velut lactea prodibat, quæ quiescens non-  
 nihil sedimentum lactis crassioris ad cochlear  
 j. ij. ponebat, agitato vase iterum sese uri-  
 næ miscens, siccatum vero salis instar pel-  
 lucens fibrosum ac falsi saporis. Inter min-  
 gendum nonnunquam ardor ac stranguria ad-  
 erat. Affectus hic magis tempore frigidus  
 sese exerebat, ac per 20 annos citra aliud  
 vel renum vel vesicæ malum durabat, donec  
 tandem desinens metum calculi renum secu-  
 turi a CRATONE prædicti omnem sustulisset  
 adeo, ut per 40 postea annos Auctor  
 nullo prorsus morbo tentatus fuerit. Ex  
 his ergo colligitur, urinas hujusmodi pro  
 chylosis neutiquam esse habendas, quippe  
 quarum sedimentum cito ponitur, exigua  
 copia, falsi saporis, absque corporis macie,  
 febre, anorexia, &c. contra quam in chy-  
 luria obtinet.

CA-

*a)* 1. c. Schol.*b)* Obs. med. L. 9. p. 219.



## C A P U T V I.

## P R O G N O S I S D I A B E T I S.

## §. 48.

Quidquid circa diabetem prognosticorum apud observatores existat, pene omnia ad spurium diabetem pertinent, ut qui aliis & crebrior in praxi medica occurrit, & graviora secum habet symptomata, & celerius quoque, si colliquativus est, ad exitum contendit. Unde toto hoc præsentis capite de sola diabets spurii prognosi, prout varia ac notatu digna ejus phænomena huc facientia in medicorum monumentis reperi, sum aclusus, præsertim cum in lienteria urinali & chyluria prædictiones adeo sint in promptu, ut peculiari doctrina egere haud videantur.

## §. 49

*Difficillimus curatu diabetes spurius a plerisque existimatus est; quippe qui LOMMIO a) teste „ cum recens est, curari interdum potest: cum in vetustatem incidit, nunquam potest; sed corpus liquefacit, atque marcore consumit „ . Eodem fere „ modo*

modo HOLLERIUS *a*) „ in ardente (ait) fe-  
 „ bre diabetes incurabilis, in aliis ægre cu-  
 „ rari potest; quia non facile initio depre-  
 „ hendi potest „ . Hos OOST. SCHACHT *b*)  
 secutus „ docuit experientia (inquit), lon-  
 „ ge plures ab hoc morbo extinguui, quam  
 „ liberari; nec obscura ratio: qui vero ser-  
 „ vantur, horum alii cito fati, tarde alii  
 „ evadunt „ . Interea hæc etsi a claris in  
 arte viris prolata sint; tamen pro oraculis  
 haud quaquam habenda. Nam & vetusti &  
 depositi diabetici, contra quam LOMMIO ac  
 HOLLERIO visum est, prorsus convaluere,  
 veluti ægri BRISBANI *c*), LISTERI *d*),  
 MICHELLOTTII *e*), &c. & numerus quoque  
 liberatorum ac mortuorum haud ita sibi con-  
 stat, quemadmodum ab OOST. SCHACH-  
 TIO *f*) est assumptus, ut pro indubio habe-  
 ri queat. Si enim ex omnibus observatorum  
 huc collectis historiis, in quibus eventus si-  
 mul notatus habetur, ineatur calculus, appa-  
 rebit, obiisse ad 36 ægros universim, etiam  
 eorum ratione habita, quos vel recidiva sus-  
 tulit (tres enim erant), vel alius diabete  
 represso superveniens morbus (quod binis  
 accidit): dum, qui evasere, 50 & amplius  
 numerantur.

## §. 50.

*a*) l. c. Cap. 13.*b*) l. c. §. 10.*c*) Vide §. 65.*d*) Vide §. 17. b).*e*) Vide §. 71.*f*) l. c.

## §. 50.

*Diuturnum est quandoque malum, alias celeriter necat.* Pendet id a lenta vel celeri corporis colliquatione, non vero a copia urinæ aut mictionis frequentia. Brevi interiere ægri DODONÆI *a*), HILDANI *b*) ex recidiva, tum HOLLERII *c*), LISTERI *d*), SALMUTHIQUE *e*), scilicet intra paucos dies: contra ea post trimestre primum obiit æger TULPII *f*), & CAMERARI *g*) 6<sup>o</sup> post anno, DODONÆI *b*) quoque alter diabeticus annis aliquot malum sustinuit. Rarissimis vero accedendum esset urinæ profluvium tota vita durans in femina MOEGLINGII *i*), si satis constaret, utrum ad diabetem sit referendum.

## §. 51.

*An aliquando est critica, hæc ægritudo?* quærit OOST. SCHACHT *k*), nec abs re; cum in eodem morbi genere jam necet, jam salutem esse videatur, quemadmodum binis HOLLERII *l*) nephriticis accidit, quorum  
unus

*a*) Vide §. 8.

*b*) Vide §. 17. b)

*c*) Vide §. 23.

*d*) Vide §. 17. a).

*e*) Vide §. 23.

*f*) Vide §. 17. a)

*g*) Vide Histor. 2. n. 7.

*b*) Obs. med. cap. 42.

*i*) Misc. nat. cur. dec. 10. ann. 2. obs. 175.

*k*) l. c. §. 5.

*l*) Vide §. 23.

unus evasit, obiit alter. Sic & BORRI-  
 CHIUS a) „ triennium (ait) est, ex quo  
 „ urbs nostra cum febribus malignis con-  
 „ suctatur; . . . iis cum se varia misceant  
 „ symptomata, ante biennium miscuit se  
 „ quoque spurius diabetes, quem pluribus  
 „ lethalem fuisse notavi, salutarem paucif-  
 „ simis; sero enim illo copiose fluente in-  
 „ terpellati sudores, impeditus somnus, vi-  
 „ res collapsæ „ . Alias b) tamen vidit in  
 febre petechiali diabete[m] hunc fuisse criti-  
 cum, quæ „ in juvene 22 annor. contumax,  
 „ maculis subrubris comitata, & in deliquia  
 „ subinde exiens, nec sudoribus paruit,  
 „ nec aliis fomentis, donec tandem a vesti-  
 „ catoriis stimulati humores viam sibi fecere  
 „ per urinas, quas æger die 11<sup>o</sup> profudit  
 „ adeo copiosas, ut verum diabete[m] for-  
 „ midaret: & hæc ipsa profusio ipsi salu-  
 „ taris fuit. Non est tamen (subdit) tam  
 „ fida alioquin crisi hæc, quam. . . per  
 „ sudores; quippe notati mihi plures in  
 „ febribus malignis, quibus negatis sudo-  
 „ ribus fluxere effuse urinæ sine optato even-  
 „ tu „ . Nihilo tamen minus diabetes iste  
 criticus esse potest, si, prægressa coctione,  
 die decretorio materia morbi ad renes pulsa  
 eum excitet, isque non ultra biduum tridu-  
 umve duret, qualis in paulo ante narrata fe-  
 Trnka de Diabete. G bre

a) *AR. med. Hafn.* Vol. 3. Obs. 34. b) *Ibid.* Vol. 3. Obs. 43.

bre petechiali fuerat, ut & in morbillis ac variolis a NEBELIO *a)* visus. In variolis certe & sæpe accidit, & cum bonis ægri rebus, quamvis illum STORCH *b)* perperam pustulæ orificium vesicæ obsidenti, vel copioso potui, vel perspirationi imminutæ tribuat. Quod si diutius persistet, perinde atque immoderata narium hæmorrhagia critica, ad mortem sternit viam. Cur vero critica hocce urinæ profluvium diabetem nolint dici, non video, quandoquidem omnes in se diabetis spurii characteres *c)* complectitur. Meliori autem jure dubitari potest, diabetisne nomen tribuendum sit critico urinæ in hydrope profluvio, quod laticem aquosum e potulentis multo ante ingestis in cavo quopiam corporis collectis stagnantem educit? Sed ex id genus dubitationibus parum emolumenti medicinæ accrescit. Insignem h.c diarrhææ colliquativæ superveniente diabete notho solutæ casum ab I. H. HOITINGERO *d)* observatum subnectere visum est. Puellus primo vitæ anno in secunda valetudine exacto cachexiam postea incurrit: elaplum intestinum rectum repositio non valuit in situ retinere, quin denno prociderit; secuta diarrhæa vires affixit, corpus extenuavit, sedata semel atque iterum vehe-

men-

*a)* Vide §. 23.

*b)* l. c. ad §. eund.

*c)* Vide §. 4.

*d)* Misc. nar. cur. dec. 3.  
ann. 9. & 10. Obs. 228.

mentior revertit, donec validiora eam adstringentia in damnum ægri represserunt; unde non alvus modo sed urina quoque substitit, cumque sudor perinde non succederet, universum corpus admodum intumuit. Datis diaphoreticis, diureticis, resolventibusque urina mota tumorem aliquatenus, non profusus tamen, minuit, donec diarrhæa reversa est, quæ macie viriumque jactura crescente in lenteriam abiit. Omnis generis remedia frustra erant, rhei, quod parumper fluxui obicem posuit, amarorem infans averfatus cum ab aliis in melius non proficeret, sed cibus, ubi ad 3. 4. vel, ut postea accidit, ad 10. 12ve horas in primis viis restitissent, postmodo impetuosissime, velut si e syringa aut sclopo pneumatico eliderentur, explosis (quod intra horam ter quaterve accidit, si post 10. 12ve horas primum alvus alimenta dimittebat) fluxus in 8 hebdomades duravit, quo tempore præsertim sub novam ac plenam lunam acrisque vicissitudines movebatur cum symptomatum augmento. Unde dum æger, licet sceleti instar extenuatus ac debilis, somnum tamen cibumque bono adhuc omine capiebat, una subito nocte maculæ rubentes variæ magnitudinis toto corpore efflorere cum mentulæ rubentis tumore, queis abortis puer optime se habuit, explosivæ dejectiones siluerunt: at sub noctem evanidis maculis morbus rediit; donec postero die dia-

betes spurius ingruit, sine omni tamen molestia ac siti, nisi quod urinæ fluxus cutem vix non excoriarit, sub quo in 5<sup>m</sup> usque diem procedente alvi fluxus desit, & æger ope diætæ ac remediorum recuperatis intra 14 dies viribus convaluit.

## §. 52.

*Efficat diuturnior diabetes crassitiem tunicarum organorum urophororum, velut ex observatis BALLONII a), CAMERARII b), MORGAGNII c), RUYSCHIIQUE d) in cadaveribus factis colligitur, licet BALLONIUS hocce vitium pro spurii diabetes causa habuerit „ multis (inquiens) eminentius diabetes; causam ad renum affectionem referebant. Mortuis contracta plane vesica reperta est, cum gangræna & tumore σφακελώδη in capacitate ipsius vesicæ. Quod notandum, ne quis decipiatur „*

## §. 53.

*Sistitur diabetes vel crisi vel metastasi vel sponte sua citra hæc. Et quidem.*

## 1°) Cri-

a) Epid. &amp; ephem. L. 2.

b) Vide Histor. 2. n. 7.

c) Vide Histor. 5. n. 2.

d) Vide §. 19.

1°) *Crisis* hic nil est aliud, quam vacuatio alia serosa velut succenturiata, qualis est

a) *Diarrhæa*, quæ in LISTERI a) puella oborta diabete[m], non item ejus symptomata, sustulit. Apud BINNINGERUM b) faber 58 annor. ante 6 annos dolore sinistri hypochondrii, incerta causa, cum cardialgia, vomitu, dyspnœa, tussi, & atrophia tenebatur. Pridie horum dolorum ingens urinæ aqueæ profluvium toto die est expertus. Vix 5 aut 6 a prima invasione dies elapsi sunt, eademque symptomata homo patiebatur, nisi quod nullus, iis pridie diabetes præiverit, sed hujus loco finitos dolores serosa excepit diarrhæa. Interea non semper diabete[m] superveniens alvus fluxa cum suspendit, sed utrumque interdum sævire malum visum est, veluti in varioloso NEBELII c) ac MORTONI d) dentiente puero accidit, & observante BORRICHIO e) „ in „ religioso quodam viro junxere inutuas operas durante (maligna) febre dysenteria, „ spurius diabetes, & oblivio „. Unde apparet, quam parum diarrhææ spontaneæ, quæ diabete[m] supervenit, sit tribuendum, ni-

G 3

fi

a) Vide §. 17. b).

b) Obs. & cur. med. Cent. 5.  
Obs. 98.

c) Vide §. 21.

d) Vide §. 59.

e) l. c. Vol. 3. Obs. 14.



si illa oborta iste continuo desinat. Atque ejusdem est commatis

b) *Ptyalismus*, de quo haud vulgarem casum in ALLEN a) reperire est: „ femina „ quinquagenaria plenioris temperamenti „ diabete & salivatione. . . alternatim invadente tandem laborabat, donec vires ferre exhaustæ fuerunt. Infusum Rhabarbari vino Canar. quotidie capiendum jussi, & post paucos dies dosis decoct. Catechu compos. FULLERI omni nocte propinata fuit, & pro potu ordinario vinum Florentinum cum aqua Bristolienfi dilutum potavit, atque ita 2. vel 3. septimanis ab utroque malo penitus liberata est, & plur-s annos incolumis vixit „.

2º) *Metastases* diabetem systentes aliæ perniciosæ sunt, aliæ salutares; *perniciosæ* sunt, quæ hydropem inducunt, seu ille anasarca sit, ut in SAUVAGESII b) hysterica, seu cavorum primariorum, puta abdominis, pectoris, encephali, velut in AMATI c), RUDLINI d), ac THEODOSII e) ægrotis; nisi quod anasarca facile rursus reverso urinæ profluvio subsidat, quod vix in alio hydrope sperandum est, uti excitati modo casus testantur. *Salutares* autem metastases e binis memorabilibus casibus hic non prætereun-

a) *Synops. univ. med. pract.*

Cap. 7. art. 9.

b) *Vide §. 7. d)*

c) *Vide §. 64. n. 4.*

d) *Vide §. 17. d)*

e) *Vide §. 7. d)*

eundis elucescent, quorum primum DEPAS-  
 SIS apud N. BLEGNY *a)* ita retulit: „ vi-  
 „ dua. . . tricesimum ætatis annum ad-  
 „ epta, constitutionis atrabiliaræ & vale-  
 „ tudinis parum firmæ, menstruas tamen  
 „ periodos rite servans, initiante Martio  
 „ A. 1662 correpta est. . . diabete. . .  
 „ quadrimestre integrum illam vexante;  
 „ per quod temporis spatium etsi febris  
 „ esset expers, toto corpore æstum insignem  
 „ percepit, imo præsertim ventre, comite  
 „ siti adeo intensa, ut deliquium animi  
 „ præsto adesset, statim ac potus deficeret,  
 „ adeo ut una quaque die & per noctem  
 „ aquæ 4. ad minimum situlas exhauriret,  
 „ eam illico nequaquam immutatam per lo-  
 „ tum profundens. Aderant præterea vi-  
 „ gilæ perpetuæ cum tanta appetitus pro-  
 „ stratione, ut præter panem vel offam, actu  
 „ frigida exhibenda, omnia fastidiret. .  
 „ Quamdiu affectio ipsi molesta, quando-  
 „ que vomitus & levis diarrhæa acciderunt.  
 „ Sed tandem ad extremum marcorem de-  
 „ ductæ, summamque virium debilitatem,  
 „ *cutis nigrore infecta fuit*, qui paula-  
 „ tim excussus est, succedente mali declina-  
 „ tione. At vero initio ejusdem mensis  
 „ Martii A. 1667 eadem morbi specie ite-  
 „ rum ingruente, . . . sed gravioribus mul-

*a)* Zed. med. Call. Ann. 3. Aug. Obs. 6. p. 102.

„ to, quam ante, symptomatibus stipati,  
 „ cum immensam illam aquæ quantitatem  
 „ ægra non profunderet, quam ingerebat,  
 „ sicuti accidere consueverat A. 1662. ab  
 „ illa propemodum submersa est, ac omni-  
 „ modam sensus & motus privationem in-  
 „ currit, qui non ante restitui illi potu-  
 „ erunt, quam ab exhibitis spatio 24 hor.  
 „ plurimis remediis evacuantibus, quorum  
 „ ope ventris sarcina educta est, & natura  
 „ ab incumbente ac opprimente onere le-  
 „ vata novam molita est metastasin materiæ  
 „ In corporis ambitum & superficiem, a  
 „ qua cum iterum *nigrore infecta fuisset*  
 „ *cutis*, fluxusque hæmorrhoidalis cum in-  
 „ secutus esset liberalis, horis circ. 4 du-  
 „ rans, restitutionis in probam valetudinem  
 „ altera causa fuit, ad mensem usque Ma-  
 „ jum proxime sequentem solum durabilem,  
 „ quo insignia indicia funebris reditus illu-  
 „ cescant: sed accedente usu aquæ mine-  
 „ ralis vitriolatae, balnei domestici, lactis,  
 „ crysalli mineralis, ac insignis copiae ce-  
 „ rasorum ab ipsa ingestorum, progressus  
 „ ulterior inhibitus est „ . Alterum BOER-  
 „ HAAVIUS a) metastaseos ad cutem „ me-  
 „ morabile exemplum in domina vidit, cui  
 „ absque manifesta causa incredibilis vis  
 „ urinæ effluxit: eam extinxit *suppuratio*  
 „ „ abs-

a) Pralect. acad. c. B. HALLERI T. 6. ad §. 777.

„ cadaverosa in toto panniculo adiposo per  
 „ omne corpus diffusa „ .

3<sup>o</sup>). *Sponte* autem Diabetem citra ullam  
 aut metastasin aut vacationem succenturia-  
 tam solvi quemadmodum tutissimum est, ita  
 & rarissimum. Apud RUBEUM a) puer  
 septennis nulla manifesta causa diabetem spu-  
 rium per 40 vel 50 dies sine febre ac siti  
 passus indies lb. 4. 5. 6. urinæ misit, pa-  
 rum admodum bibens: unde in maciem &  
 convulsivos motus incidit. Quæ omnia ta-  
 men sensim desiere.

§. 54.

*Recidiva fit facilis*, ni sollicitè ea-  
 veatur, ac plerumque deterior, cujus rei  
 exemplo serviunt diabetici LISTERI b),  
 BROKLESBYI c), BUCHWALDI d), BLE-  
 GNYI e), WILLISII f), ac cumprimis MOR-  
 TONI g).



G 5

COM-

a) Nocturn. exerc. in hist.  
 med. Exerc. 13. p. 174.  
 b) Vide §. 17 b)  
 c) Vide Histor. 6.

d) Vide §. 59.  
 e) Vide §. præ. n. 2.  
 f) Vide Histor. 1. B. 3. 4.  
 g) Vide §. 59.

## COMMENTARIUM

DE DIABETE .

## P A R S I I.

DE MEDENDI METHODO IN  
DIABETE.

## C A P U T I.

SUMMA DIABETI MEDENDI CAPITA.

§. 55.

Tametsi triplex sit diabetis natura alterum ab altero profus diversum, nimirum henteria urinalis *a*), chyria *b*), ac diarrhæa ad matulam *c*); nihilo tamen secius cum in singulis tum laxitas vasorum renalium, tum stimulus quidam peculiaris humores ad laxa hæc vasa determinans, præsto sit, satis apparet, summa medendi capita eadem in quovis diabetis memorato genere locum habere. Proinde est

§. 56.

*a*) Vide §. 3. A) n. 1.*c*) Vide §. 4.*f*) Ibidem n. 2.

## §. 56.

I. INDICANS ipse diabetes unus e tribus  
i. e. ejus

1<sup>o</sup>) Causa proxima.

2<sup>o</sup>) Effectus.

3<sup>o</sup>) Recidiva facilis.

II. INDICATIONES vero sequentes:

A) Causa proxima tollenda, i. e.

a) Stimulus, ejusque effectus, tollendi:  
ergo

1. Affluxus humorum ad renes minuendus,

a) Revellendo illos inde aliorsum *a*),

b) Inhibendo aquosi in vasis augmentum *b*),

2. Acre, spasmusque inde ortus

a) Loco movenda *c*)

b) Obtundenda, enervanda *d*)

γ) Cavendaque porro.

b) Proegumena causa abolenda, nimirum

1. Laxa renum vasa nervique roborandi *e*),

2. Tenuis sanguis (si unquam est) spissandus *f*),

B) Effe<sup>t</sup>

a) Vide §§. 57. 58. 72.  
n. 2.

b) Vide §§. 43. (n. 3.)  
69. 70. 72. n. 2. 3. 4.

c) Vide §§. 57. 58.

d) Vide §§. 60. 67.

e) Vide §§. 62. sqq. 69.  
71. 72 n. 2.

f) Vide §. 67.

B) Effectus morbi tollendi, mitigandi.

1. Sitis minuenda, sedanda,
2. Febris hectica abigenda,
3. Corpus ac vires exhausta restorandi a).

III. INDICATA denique indicationibus modo enumeratis satis facientia sequentibus ex ordine capitibus dicenda venient.

---

## C A P U T II.

### DE EMETICIS ET CATHARTICIS.

#### §. 57. -

I. EMETICA etsi a pluribus in curatione diabetis commendata fuisse haud ignorem; tamen non dum usquam exemplum curati emetico diabetis se mihi obtulit. WINTRINGHAM b) quidem loquitur „ de quibusdam vomitu saepe iterato sanatis „ sed nec diserte nec nominatim ullius aut ægri aut observatoris historiam in medium attulit. Ceterum haud parum efficaciam multos ab emeticis adversus diabetem expectavisse vel ex EFTMÜLLERO c) intelligi potest: „ ante omnia (inquit ille) quoad pharmacia-  
„ ciam

a) Vide §§. 63, 72. n. 1, 2.

b) Not. & Obs. in R. MEAD  
mon. & prae. med. C. 9.

5. 2.

c) Opp. T. 2. P. 1. Col-  
leg. pract. Sect. 19. C.  
1. art. 3. p. m. 649.

„ ciam vomitus commendatur; aperte enim  
 „ BRENDLIUS a), cui alii consentiunt, ex  
 „ PLATERO asserit, principium curationis  
 „ esse vomitum, jubendo, ut dum maxima  
 „ æger torquetur siti, copiosam deglutiat  
 „ frigidam, hancque repente revomat, quod  
 „ fiat singulis 4 diebus. Item ZACUTUS  
 „ LUSITANUS b) dicit: prodest vomitus,  
 „ iis præsertim, quibus falsa vel viscida  
 „ pituita in ventriculo abundat. Conf. etiam  
 „ F. EPIPHANIUS c), item HOR. AUGE-  
 „ NIUS d) & RIVERIUS e) „. Neque  
 ipsa etiam indicatio *humores ab renibus re-*  
*vellendi* illa ulla ratione excludere videtur,  
 præsertim cum diabetes velut quædam re-  
 num diarrhæa, in qua emetica adeo sæpe  
 sunt proficua, a nonnullis consideretur. Ac-  
 cedit quoque *causa tollenda* indicatio, quæ  
 si renibus impacta stimulo suo perpetuum  
 humorum ad illos affluxum producit, valido  
 iteratoque corporis totius succussu e loco, cui  
 se pertinacius affixit, excuti, ac lotii torren-  
 te abrepta evacuari potest. Interea quam-  
 vis tanta emeticorum esse utilitas queat;  
 non in omni tamen diabete præbenda erunt:  
 quæ enim emeticum hocce in morbo con-  
 traindicant, sunt præsertim 1<sup>o</sup>) Diabetes  
 spa-

a) Conf. med. 33.

d) T. 1. L. 12. Epist. 3.

b) Prax. histor. L. 3. C. 17.

e) Prax. med. L. 14. C. 6.

c) Consul. 37.



spasmodicus, quem vel hysterica hypochondriacave passio, vel febris intermittens diuturna aut suppressa induxit; 2<sup>o</sup>) Diabetes paralyticus; 3<sup>o</sup>) Hernia vesicam irritans *a*).

## §. 58.

II. CATHARTICA vero tum ratione sua-  
dente, tum experientia teste, sunt adversus  
diabetem efficacissima: nam non solum hu-  
mores ad renes pellendos ab iisdem aver-  
tunt, quod indicatio postulat, & natura ipsa  
diarrhæa spontanea excitata diabetem sol-  
vens *b*) viam hanc præmonstrat, verum sæ-  
pe ipsam quoque causam, quæ humores sti-  
mulo suo ad vias urophoras allicit, ut est  
hernia, sex stercorea, vermes &c. submo-  
vent. Porro non impediunt modo cathar-  
tica, ne sub usu remediorum roborantium,  
adstringentium, opiatorumque diabetes me-  
rastases perniciosas *c*) molliatur, dum quod  
ab renibus avertitur ad alvinas vias deter-  
minant, sed factas jam etiam citra novum  
urinæ profluvium tollunt, ut in BLEGNYI *d*)  
diabetica: idcirco non sine summa ægroti  
utilitate cathartica aliis remediis vel copu-  
lantur vel interponuntur. Quid quod & ta-  
lia reperire sit cathartica, quæ præter eva-  
cu-

*a*) Vide §. 27. *c*).

*b*) Vide §. 53. n. 1. 2).

*c*) Vide §. 53. n. 2.

*d*) Ibidem.

quantem vini roborante quoque ac leniter adstringente sint prædita, qua laxitatem ipsam renalium vasorum emendare valeant. Quæ cum ita sint, facile conicitur, nunquam bene cathartica in curatione diabetis negligi posse, id quod jam veteres a) animadvertenterunt.

## §. 59.

*Rheum* vero omnibus aliis cathartice in diabetis curatione palmam præripit, quod præter vim alvum moderate ciendi, roboranti quoque virtute se commendat. Unde factum est, ut ob eximiam suam ad morbum hunc debellandum efficaciam, quam experientia probavit, pro specifico remedio rheum in diabete a multis haberetur, ac licet plures illo cum fructu multo ante usos fuisse b) constet, tamen maximam ejus attentionem in Medicis excitavit G. HARRIS c) in sequenti casu: mercator 77 annor. ischuria 5 dierum pertinaci affectus applicato tandem ad umbilicum cataplasmate e sapon. nigr. ʒvj. Croc. opt. ʒß. ♂ succin. gr. xv. postero die ischuria in diabetem versa tantum lotii reddere cœpit, ut altero post fluxum re-

ver-

a) Celsus L. 4. C. 2.  
art. 2.

b) Vid. AMATUM l. c. Cent.

2. eur. 94. WILDAN.  
l c.

c) Obs. de morb. aliquot  
graviorib. Obs. 3.

versum die urina fere sine intermissione flu-  
eret melleæ dulcedinis, copiam potus ex-  
cedens, cum inexplebili siti, ægro intra  
octiduum macilento ac pene strigoso effecto,  
qui prius carnosus erat ac succulentus. Cum  
sic post varia quæque incassum tentata æger  
jam desperatus esse videretur, venit in men-  
tem Cl. Auctori, diabetem illum velut quam-  
dam renum diarrhæam esse habendum, cum-  
que in alvi fluxu egregias Rhei esse vires  
non ignoraret, voluit experiri, num in dia-  
bete ejusdem esset efficaciam. Quapropter  
præscripsit

℞. Rhei electi incis. ℥ss.

Santal. alb. citrin àà ℥i.

Cardamom. min. ℥ss. infund. in

Vini Canarin. opt. ℔. j. vase clau-  
so, lento igne.

Colaturæ cochl. vj. hora 6<sup>a</sup> matutina  
diei 9<sup>mi</sup> sumpsit æger, tantundemque post  
4 horas: atque ita eodem die & urinæ fluxus  
nimius & sitis desit, eodemque haustu tri-  
bus quatuorve matutinis iterato prorsus con-  
valuit. Casum hunc HARRIS coætaneo suo  
G. BAGLIVO a) non sine relato æncomio  
communicavit; ac immutatus in quibusdam,  
nescio Auctorisne an alius opera, apud istum  
deprehenditur. Nec minus illustris hanc  
in rem est casus MORTONI b): „D. W. . .

„ li-

a) Inter Epist. Cl. Viror. Ep.

†. Opp. p. m. † 17.

b) Phthiis. L. 1. C. 1.

Hist. 3. p. m. 18.

„ licet jam tres puellas habeat vivas & sa-  
 „ nas, omnes tamen filios prima infantia  
 „ (ubi sc. primum cœperunt denturire)  
 „ diabetica tabe sublato amisit. Nomen  
 „ quidem morbi ignoravit, verum dum ob-  
 „ servaret eodem modo omnes filios periisse,  
 „ idque fere circa idem ætatis tempus, at-  
 „ que id in extremam emaciationem reda-  
 „ ctos cum perpetua & inexstinguibili siti,  
 „ & profluvio urinæ mirabili, me tandem  
 „ consuluit de 4<sup>to</sup> filio, qui tunc denturiebat.  
 „ Atque sicuti tres priores jam defuncti in-  
 „ cipiebat immodice sitire, atque etiam im-  
 „ modice mingere, quo caro valde flacci-  
 „ da reddebatur, calorque hæcticus suborie-  
 „ batur. Ita mellea urinæ dulcedine fultus  
 „ . . . phthisin diabeticam a dentitione or-  
 „ tam pronunciavi, qualis perfectam cura-  
 „ tionem admittere non possit, usque dum  
 „ dentium eruptio jam plane completa fu-  
 „ erit. Intra unius vel alterius mensis spa-  
 „ tium ad faciem Hippocraticam ultimam-  
 „ que tabis scenam misellus infans redigi  
 „ videbatur, quippe qui colliquationem per  
 „ diarrhæam æque ac per diabetem patere-  
 „ tur, licet sine tussi vel alia aliqua pulmo-  
 „ num affectione. Utcunque in præsentem  
 „ symptomatum alleviationem præscripsi accu-  
 „ ratissimam diætam lacteam & electnarium  
 „ adstringens, jussique, ut sitiens lac so-  
 „ lum aquis Istringtoniensibus mixtum per

„ totam æstatem biberet. Quo sitis & pro-  
 „ fluvium urinæ aliquantum supprimi, ca-  
 „ roque refarciri videbatur. Morbo autem  
 „ incertis intervallis recrudescente cum in-  
 „ signi per alvum æque ac per renes colli-  
 „ quatione, quoties scil. instabat nova den-  
 „ tium eruptio, secundum prognosticon ini-  
 „ tio habitum præscripsi tandem gr. vj. vij.  
 „ viij. *Rhabarbari* omni mane, & tantil-  
 „ lum diascordii hora somni sumendum.  
 „ Quorum remediorum diligenti usui infan-  
 „ tem committebam, atque in horum usu  
 „ persistebat per 2 annos ad minimum, do-  
 „ nec sc. omnes dentes erupissent, quo vi-  
 „ res carnesque continuo refarciebantur,  
 „ meliusque in dies sese habuit, etsi ali-  
 „ quantum sitis profluvioque urinæ detine-  
 „ retur, usque dum totum numerum den-  
 „ tium complevisset. Jam vero 4<sup>to</sup> ætatis  
 „ anno finito sanitate firma, athletico cor-  
 „ poris statu frui videtur, ac si nunquam  
 „ morbo aliquo affectus fuisset „ . Postea  
 „ Rhei parem in tribus diabetis energiam  
 „ observavit I. BUCHWALD a). Primus eo-  
 „ rum juvenis fuit, qui ex abusu olei succini  
 „ diabetem contraxit. Huic 5<sup>to</sup> morbi die  
 „ præter jura tenerarum carniū nitro (salis  
 „ communis loco) condita, vitellis que ovo-  
 „ rum ,

a) Apud MALLER, Disput. ad morb. histor. & cur. facient.  
 T. 7, P. 2, B. 268. S. 9. 199.

rum, lac ferratum cum pane bis cocto, ac decoctum cum nitro, ter sequentem exhibuit potiunculam:

℞. Rhei opt. ʒj.  
 Fol. Senn. elect.  
 ☐ solub. àà ʒʒ.  
 Nuc. Mosch. gr. jv.  
 ▽<sup>ae</sup> Rosar. ʒʒss.  
 Syr. Rosar. siccar. ʒij. M. D. pro  
 dosi.

Convaluit quidem hinc æger; ac post 16 dies in patriam reversus e diabete recidiva interiit. Alter erat vir 46 annor. qui ob levem dysuriam singulis 8 horis Bals. Δ terebinth. gtt. xij. per aliquot dies sumens perinde in diabete incidit. Huic quoque præter decoctum plasticum e C. C. & malva &c. pultesque lacteas potiuncula e Rheo priori similis bis exhibita saluti fuit: morbus intra 3 hebdomadas superatus ultra 20 annos non revertit. Tertius denique senex 83 annos natus contracto e vini Mosellani novi, √ anisati, ac juris cum largo Chærefolio parati usu diabete usurpatis iisdem remediis II<sup>a</sup> morbi die convaluit. Post 15 dies reversum morbum eadem remedia profligarunt. Huic autem seni rheum crebrius, quam prioribus ægris, ac refracta dosi, exhibebatur, videl.

R. Decoct. C. C. cum pafs. min. para-  
ti ℥viiij.

Vini Hispan. opt. ℥vj.

℞ Rhei opt. ℥β.

Santal. robr. ℥iiij.

Nuc. Mosch. ℥ij.

Ⓞ regener. ℥j. M. stent loco  
tepedo per 6 horas; dein S. omni 3. hor.  
cochl. ij. R. BROKLESBY α) quoque rheum  
sua in curatione diabetis adhibuit.

## C A P U T I I I.

### D E O P I O.

§. 60.

Postquam primo omnium per Rheum hu-  
morum ab renibus revulsio tentata est; vel  
si usum purgantium quæpiam contraindicent:  
tum præter alia remedia ipso etiam opio  
tentandus est morbus, præcipue si diabetes  
1<sup>o</sup>) Hystericus vel hypochondriacus est mor-  
bus, vel si 2<sup>o</sup>) noctu maxime affligit, vel  
si denique 3<sup>o</sup>) metastasis materiæ cutaneæ ad  
renes facta est, quæ aucta ab opio perspi-

ra-

α) Med. Bemerk. u. Untersuch. einer Gesellsch. von Aerz-  
ten in London, 3 Band. n. 26. p. 232.

ratione rursus ad peripheriam corporis reditura sperari potest. Eapropter opii sub noctem usus non est negligendus, monentibus RIVERO *a)*, ETMÜLLERO *b)*, aliisque. Apud hystericas certe nullum esse remedium testatur WHYTT *c)*, quod earum urinæ profluvium tam cito ac manifeste passim infringat, quam opium, narratque notam sibi jam annosiore femina, quæ noctu plerumque inquietudini, calori, ac lotii profluvio obnoxia, sumpta ante somnum Laudani dosi semper maximam partem ab hoc profluvio fiebat immunis, quamvis raro inde placide dormiret. BUCHWALDUS *d)* quidem opii in diabete usum ad solos Anglos salubriter pertinere existimat, ad alios vero non perinde; sed quoniam id opinatus magis quam expertus est: idcirco non audiendus, nisi ubi manifesta adsunt *contraindiantia*, nimirum si diabete[m] produxit vel hernia vel saburra vel paralysis, &c. cum enim opium alvinam vacationem retardet, velut apud TRALLESIIUM *e)* videre est, assumptum non potest omnes has causas non augere, ac proinde morbum ipsum fovebit, præsertim cum, GEOFFROY *f)* notante, post evanidam

H 3

dam

*a)* l. c.*b)* l. c. p. m. 650.*c)* l. c. C. 3. §. 9. p. m. 333. sq.*d)* l. c. §. 17.*e)* usus opii salub. & nox.

Scēt. 1. Cap. 2. §. 29.

P. 143.

*f)* Mat. med. L. 2. p. 696.



dam assumpti opii vim plerumque crebrius mingatur, id quod TRALLES *a)* auctæ ab opio renum laxitati sanguinisque attenuatio-  
ni tribuit. Contra ea in superius dictis indicantibus vel maxime erit proficuum.

## §. 61.

Interea tamen fatendum est, vel in his etiam indicantibus opium non nisi palliativum esse remedium, ut quod spasmos vigi-  
liasque pro brevi tantummodo tempore depellat: „ cum autem nec renibus robur  
„ addat, inquit WHYTT *b)*, nec varias  
„ occasionales auctæ secretionis hujus cau-  
„ sas tollat, aliis opus est remediis ad fre-  
„ quentiores hujus mali insultus præcaven-  
„ dos „ . Sunt autem præter Rheum alius  
quoque generis remedia, quæ multiplex re-  
rum usus adversus diabetem efficacia admo-  
dam esse edocuit; de his sequentia capita  
agent.



CA-

*a)* l. c. Cap. 5. §. 17. p.      *b)* l. c. p. m. 334.  
269°

## C A P U T I V.

## DE ROBORANTIBUS ET ADSTRINGENTIBUS.

## §. 62.

Ubi humores ab renibus per cathartica ad intestinalem tubum avocari, ac spasmi (si qui aderant) systematis urinosi opio sopiri occipere; tum enim vero adnitendum est, ut eodem simul tempore medicamenta roborantia & adstringentia in auxilium vocentur, quæ 1<sup>o</sup>) laxitatem vasorum renalium emendando, chyli, lactis, & aliorum crassiorum per illa trajectum inhibent; 2<sup>o</sup>) irritabilitatem eorundem, ob quam ad spasmos procliviora sunt, iminuunt, 3<sup>o</sup>) humores ad facilem aquosæ partis ab reliquis secessum pronos compingunt, non solum ob majus vasis additum robur, sed & ob ipsam, quæ adstringentibus remediis inest, humores coagulandi, plasticitatemque iisdem inducendi facultatem. Certe A. a LEBENWALD a), GERBEZIUSQUE b) solis roborantibus adstringentibusque remediis suos ægrotos a diabete vindicarunt.

H 4

§. 63.

a) Vide §. 16.

b) Vide §. 17. c).

## §. 63.

I. ROBORANTIA autem, quæ præ aliis se hocce in morbo commendarunt, binæ sunt: *Quassia ligni decoctum a)*, & *Cortex Peruvianus*. Posterior præsertim non ad spurium modo diabete[m] sed chylosum quoque debellandum suas exerit vires, quæ quantæ sint in chyluria, nuper admodum F. C. STOELLER *b)* est expertus; etenim quadragenarius plethoricus robustus, vehementi motui musculari omni tempestate deditus, potuumque generosorum amans, nec non a 20 annis sæpe colico dolore leviori, cui semper spirituosâ opposuit, tentatus, vicesimo vero ætatis anno per semestre multo cum urina sanguine citra dolorem excreto fere exhaustus, cum nuper calens admodum corpus refrigerasset, vehementi lumborum dolore totum dein abdomen pervadente ac instante correptus est, cui brevi post vomitiones crebræ cum alvo adstricta, multa anxietate, ac alternis motibus febrilibus accessere, simulque mox ægritudinis hujus principio urina omnis tenuæ lac referebat, nec nisi multis post horis sedimentum dimisit, leve album æquabile ac inodorum, quod agitatum parti rursus aquosæ penitus misceba-

a) Cassel. Beiträge A. 1769.

b) Beobacht. und Erfahrung. aus der inner u. äuss. Heilkunst, 1. Beobachtung.

batur. Ac tamen copia lotii potum non superaret, mictio tamen crebra erat, difficilis & interpolata, cum molesta quadam abdominis, pubis, ac versus intestinum rectum sensatione. Quapropter cum colici illi dolores & sanguinis mictus olim prægressi, præsensque symptomatum cum urina descripta (quæ juxta diagnostica omnis pene avi illustrium Medicorum effata pro calculosa habenda videbatur) syndrome, nec non Patri quoque olim infesta lithiasis, suspicionem calculi renalis movissent, prætereaque pulvis 10<sup>o</sup> morbi die parvus inordinatus & sub vesperam leviter esset febrilis cum vigiliis, anorexia, licet dolores & anxietas acmen attigerint, tamen V<sup>o</sup> S<sup>e</sup>, quæ non multo ante hanc ægritudinem facta erat, in præsentem neglecta, omnis curatio ad spasmos doloresque sopiendos, alvum liberam servandam, & urinæ calculosa massa prægnantis fluxum facilitandum, exhibitis opio, oleo, mucilaginosi, leviterque lithonripticis, dirigebatur. Quo facto 12<sup>ma</sup> morbi die omnia pene symptomata cessarunt; urina tamen semper crassior albiorque reddebatur, lentissime subsidebat, inodora. Die 15<sup>a</sup> a frigido (ut videbatur) potu fermentato æger in vomitum incidit; sed adhibitis illico enematis mollibus, Elix. stom. amar. cum L. L. vomitus die 16<sup>a</sup> admodum rarus erat, symptomata cetera mitia, febrisque vix aliqua; sed sæ-

pius dejecit tenuia, & anorexia, anxietates, vigi i reque cum pristina urina perstabant. Postero die vomitus ac diarrhæa desierunt. At 18<sup>va</sup> morbi die nova rerum facies; urina enim aquosa limpida evasit cum abdomine tenso & inflato, tussique valida, & anxietatis augmento, quæ variis licet exhibitis non prius cessere, donec postero die cochlearim assumpta fuisset MR<sup>a</sup> ex Aq. menthæ & fænic. àâ ℥ij. □ solub. ℥vj. Oxym. squill. ℥j. M. Unde<sup>†</sup> 20<sup>va</sup> die tussis, alvi obstructio, tensio, dolor, ac febris fere prorsus desierunt; contra ea urina rursus alba facta, multo quam ante crassior, lacti pinguiori simillima, vix post nycthemerum sedimentum ponens, quod  $\frac{3}{4}$  totius lotii, una vice, absque dolore, nec ultra potus quantitatem, excreti efficiebat. Urina hæc ultra 8 dies clauso vitro contenta in hypocausto stans nullum vel fœtorem vel urinosum odorem sparsit: instillato aceto vini vel succo citri sedimentum celerius dimisit, magisque cohærens: recens missa calorem usque ad ebullitionem citra decompositionem sustinuit; at post 16 horas modo calor temperatus id m, quod instillata prius acida, effecit. Interea ob anorexiam vigiliasque corpus ægri viresque pessumdabantur adeo, ut citæ tabis metus esset. Idcirco rite omnibus expensis cum miçtio hæc non calculosa sed chylosa potius, a vasorum secretoriorum la-

xitate oriunda, esse videretur, præmisso ca-  
 thartico e sale amaro, rheo, manna, die  
 morbi 21<sup>ma</sup> porrectum est saturatum deco-  
 ctum corticis Peruviani cum aliis coindicatis  
 additamentis; a quo cum nulla morbi  
 fieret mutatio, die 25<sup>a</sup> exhibitum est Ele-  
 ctuar. e ꝯ Cort. Peruv. cum Roob Samb.  
 & melle depur. quater omni die ad ℥ij. sumen-  
 dum, præterea ꝯ ante somnum e Corall.  
 Nitroque puro cum M. Cynogl. gr. jss.  
 Potui datum est decoct. micæ panis cum  $\frac{1}{4}$   
 vini Pontack. Die 29<sup>na</sup> appetitus, somnus,  
 viresque sensim revertebantur, alvus omni  
 die spontanea, anxietas febrisque nulla.  
 Sola adhuc urina ut ante, facile tamen &  
 pro ratione potus, excernebatur. Electua-  
 rium interea æger tam largiter sumebat, ut  
 quotidie Corticis Peruv. ℥iij. jv. absumeret,  
 simulque potum prius dictum ad ℥b. 4. 5.  
 hauriebat. Hinc die 25<sup>a</sup> multo jam va-  
 lentior hilariorque, appetentia insignis so-  
 mnus quietus & reficiens: urina quoque jam  
 tenuior & pellucidior. Idcirco prioribus re-  
 mediis adjuncta frictio abdominis pannis fumo  
 medicato imbutis, & lenis extra lectum cor-  
 poris motus imperatus. Ab his æger die  
 39<sup>na</sup> optime valuit, & urina, quæ adhuc-  
 dum parum ex albo turbida erat, indies ma-  
 gis clarescens brevi etiam sanarum similis  
 evasit, pristinusque corpori habitus non mul-  
 to post rediit sub continuato electuarii per  
 doses

doses imminutas usu. Ex illo tempore homo pancreaticæ valet, auctum corporis robur, progenuit sobolem, pristinis suis vacat laboribus, nec ullam a Septembri A. 1766 usque ad A. 1775 vel colicæ sibi olim familiaris, vel diabetis, vel alijs in urinis vitii molestiam est perpeffus, licet trimestri post diabetem ex lapsu ab alto totum corpus vehementer commoverit, & ante 3 annos epidemicam tertianam contraxerit. Quod jam ad sparium attinet diabetem, etsi universim Cortex Peruvianus in eo conveniat, præprimis tamen in diabete a febre intermittente profecto insignis est virtutis, velut ex ALBERTINO *a)* superius retulimus; neque SCARAMUCCII *b)* observatio quidquam in contrarium evincit, quandoquidem id genus casus non aliunde a corticis usu in febribus intermittentibus oriuntur, nisi dum istæ pariore illius, quam par est, dosi exhibita imperfecte jugulantur *c)*: quæ ipsa etiam doses tenuitas in causâ esse videtur, cur in METZII *d)* casu fuerit Cortex inefficax. Quod autem in binis I. BRISBANII diabeticis nocuisse potius visus sit, mirandum non est, cum in iis non tam laxitas sola vasorum renalium, quam paralytica potius atonia morbum caufarit, solis stimulantibus tollenda. Prior

ho-

*a)* Vide §. 23.*b)* Ibidem.*e)* Vid. meam hist. febr. intermitt. Vol. 1. §. 50.*d)* l. c.

horum a) vir provectæ ætatis, multos annos valetudinarius, diabetem (quo natu major ejus frater extinctus est) contraxit, in quo lactis amygdalati potus non sicut modo levabat, sed nutrebat etiam, caloremque hæticum & ardorem ad scrobiculum cordis insigniter leniebat: contra ea alumen aliaque adstringentia frustra erant, alvumque constipabant. Sub sola equitatione quotidiana & usu conf. Ros. cum lacte asinino ac nonnullis aliis lenioribus remediis tolerabilius habuit. Moræ tamen pertæsus consilio seniorum Medicorum Corticem Peruv. aliquo tempore in usum vocavit; sed ne uno quidem symptomate inde mitigato, imo gravato multo potius stomacho appetitus minuebatur, sitis ac siccitas oris cum aliis morbi symptomaticis crescebant, usque dum fatis cessit. Posterioris historia alibi b) dabitur.

## §. 64.

II. ADSTRINGENTIA, quæ hic a variis laudantur, sunt perinde varia, ut

I.) *Plantago*. A. H. COMMENUS c) virum 30 annor. e largo vini potu diabetem cum enormi siti, summo corporis calore, tantaque urinæ copia, quæ triplo plus, quam po-

a) Select. Cases in the practice of medicine P. 1. S. 1. Cas. 1.

b) Vide §. 65.

c) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 1. obs. 188.



potus assumptum est, efficiebat, passum post V. S. factam crebro  $\mathcal{R}^{\text{ae}}$  Corallor. usu, præsertim vero decocto Plantaginis ac SYL. VII a) mistura adstringente (quæ ex aq. Plantag.  $\mathcal{Z}$ ij. aq. Cinnam. Aceti stillat. àà  $\mathcal{Z}$ ß. Syr. Portulac.  $\mathcal{Z}$ j. &  $\mathcal{O}$  Corall. r.  $\mathcal{Z}$ j. conflatur) intra 15 dies restituit.

2.) *Terræ adstringentes*, ut terra Catechu, &c. Juris consultus diabetem continuum passus, post omnia quæque frustra adhibita cum a morte haud multum abesset, demum  $\mathcal{R}^{\text{ae}}$  Catechu guttulis e cerevisia calida a G. DETHARDINGIO b) propinatis evasit. Huc proinde etiam pertinent pilulæ de Caccionde, Catechu pro basi habentes, quas in curando diabete extollit BAGLIVUS c).

3.) *Chalybeata*, ut aquæ ferratæ seu nativæ seu arte paratæ, lac chalybeatum, &c. ETTMÜLLERUS d) lactis chalybeati usum tantopere commendat, ut illud cibus quibusque suadeat permisceri. ZACUTO e) cum e quinis diabeticis tres interiissent, duo hocce remedii genere sunt servati, unus ætate florente, alter vino deditus. Prioris renibus admota Nymphææ folia momento usque

a) Prax. med. L. 1. C. 30.  
§. 183.

b) Misc. nat. cur. dec. 3.  
ann. 7. app. p. 72.

c) De fibr. mot. L. 1. C.  
12. §. 4.

d) l. c.

e) Prax. med. admit. L. 2.  
obs. 71.

usque adeo siccabantur (resorpto nempe omni ex iis in vasa inhalantia humore), ut pergamenæ instar durissima evaderent. Posterior vero tanta cruciabatur siti, ut & plurimum biberet, & omnem ocysus potum colore odore saporeque nil mutato remingeret: cumque intra horam  $\nabla^{\text{ae}}$   $\text{Hb}$  20 exhaustis, eandem, qualis epota erat, limpidissimam eminxit. Ambo jam tabescentes post omnia pene incassum tentata demum lactis asinini chalybeati potu, interpositoque ex interval-  
 lis Philonii Persici usu, intra mensem con-  
 valuere. Numquid serum lactis caprillum chalybeatum vel lac ipsum rheo efficacius esset? purgat enim ob vim tichymali, quo capræ vescuntur, & ferro imbutum potentius rheo roborat. Ipsæ quoque ferratæ aquæ egregie hic sese gessere: hinc suasor erat RIVERIUS a), ut „ pro potu utatur æger „ aqua ferrata cum syrups acidis & adstrin- „ gentibus, vel decocto prunorum silve- „ strium, & corticis interioris quercus, quo „ remedio fere solo se hunc morbum in „ puero curasse testatur ERASTUS „. Per- inde solius aquæ chalybeatæ potu LANZO-  
 NUS b) curavit alium, qui una die  $\text{Hb}$ . 30 urinæ reddebat. „ Mulierem, inquit M. „ KULANDUS c), 12 annor. diabeticam „ sanavi

a) l. c.

b) Misc. nat. cur, dec. 3.

ann. 9. obs. 207.

c) Cur. empyr. Cent. 2.

cur. 28.

„ sanavi his paucis: ℞. Plantag. in aq. cha-  
 „ lybeata decocta, applica renibus & vesi-  
 „ cæ, idque post balneationem in aqua ex-  
 „ stinctionis frequentioris chalybis igniti.  
 „ Potus erat vinum rubellum cum aqua cha-  
 „ lybeata: atque his paucis mox omnino  
 „ sanata est „. Vidimus etiam superius a),  
 quantum in ipsa chyluria COHAUSENII femi-  
 næ aqua chalybeata profuerit. Huc etiam  
 pro parte referendus est *lapis ebymicus*  
 HERTODII b) hunc in modum parandus:

℞. Lythargyrii q. v. solve in

Aceti stillat. q. s. filtrato liqv. instilla

∩ Θ q. s. ad omne lythargyrium  
 præcipitandum: istud lento igne siccetur;  
 cui dein affunde solutionis ferri in ∩ Θ  
 factæ partes ij. M. & a miscela retortæ in-  
 dita abstrahe ∩<sup>\*\*\*</sup> ad siccitatem; remanebit  
 in retorta lapis rubicundus, ejus gr. j.  
 cum vino simplici vel malvatico per 9 dies  
 exhibitum sustulit diabetem in pannifice,  
 qui quartanæ duplici ab autumnii principio  
 ad solstitium hyemale affligenti tandem ejus  
 in discessu successit, totisque 5 hebdomadis  
 durans adeo in dies crevit, ut jam quantitas  
 urinæ quotidie ℥. xvj exæquarit, licet æger  
 haud plus ℥. v. cibi potusque assumpserit.  
 Interea ab hujuscemodi remediis interne pro-  
 pi-

a) Vide §. 15. n. 13.

b) Misc. nat. cur. dec. 1.  
 ann. 2. obs. 143.

pinandis abstinendum esse omnes hodie cordati Medici suadent.

4-) *Alumen* in copioso aquæ vehiculo. *Sero lactis aluminoso* plurimum tribuit MEAD a), jubetque illud parari „ e lactis „ paululum cocti ℥. jv., & Alum. ℥iii. . . „ si hujus ( inquit ) quarta libræ pars ter „ minimum die bibatur, ad profluvium illud „ sistendum plurimum valet „ . BROKLESBY b) vero idem hoc remedium suæ ægrotae ita parari præberique jussit :

℞. Lact. vaccin. recens multæ q. s. coq. cum

☉ Alum. gr. 30 ad 50. F. l. a. ferum ad pintam j.

S. m. & v. pint. ℥s. Paretur quotidie recens. Nescio autem, consultumne sit DOVERI c) methodo illud exhibere? commendat ille velut certissimum adversus diabete remedium serum lactis tanta aluminis copia saturatum, quantam stomachus ferre potest, a morbi principio usque in finem quotidie ad  $\frac{1}{4}$  pintæ sumendum. namque vix tum sese in secundas vias penetrabit; quod vero ut fiat, minore opus est dosi, quæ primas vias fallere, nec vasa lactea ac meseraica contrahendo iter sibi per eadem præcludere queat. Numquid ideo forte nec bi-

Trnka de Diabete · I

nis

a) Mon. & prœc. med. C. 9. S. 2. p. m. 101.

c) v. Comm. Nor. T. 4. A. 1784. H. 20. p.

b) l. c.

158.

nis BRISBANI *a)*, nec OOST. SCHACH-  
TII *b)*, diabeticis opitulum est? Imo &  
obesse potest, præsertim neglectis catharti-  
cis quæ impeditum laticis in renes per ad-  
stringentia influxum ad alvinas vias allice-  
rent; qua vacuatione non succedente latex  
ille aquosus ad alia corporis loca regurgitans  
hydropem aliaque gravia mala, solis postea  
etiam cathartics tollenda, ut in BLE-  
GNYI *c)* casu accidit, ex facili producere  
potest. Rem historia apud AMATUM *d)*  
confirmat: mulier sexagenaria ante biennium  
leucorrhœa repressa paucis post diebus incidit  
in diabetem summo cum ardore, quem po-  
tatis per 4 dies aquis thermar. montis Bo-  
dii alumine, sulphure, ferroque imprægnatis  
oppugnans tota facie tumere cœpit, ac post-  
modo per 4 dies deficiente pulsu instar mor-  
tuæ jacuit; inde ad se reversæ mens vacil-  
labat, atque aliquot post diebus ita exactis  
tandem per 7 dies aphona cum pulsu exili  
expiravit. Vidimus alias *e)* jam e sponta-  
nee, citra aliam succedentem vacuationem,  
subsistente fluxu similia mala fuisse obser-  
vata.

5.) *Aqua calcis vivæ.* Hujus quoti-  
die ad  $\zeta$ v. vj. haustu ter sumpto æger WIL-  
LISII *f)* bis jam recidivam passus tandem  
post

*a)* Vide §. 63. 65.

*b)* Vide Histor. 7.

*c)* Vide §. 51. n. 2.

*d)* 1 c Cent. 5. cur. 33.

*e)* Vide §. 53. n. 2.

*f)* Vide Histor. 1. n. 5.

post quatrimum ad pristinam rediit valetudinem. Multum quoque ad curationem ægri apud FOTHERGILLIUM *a*) contulit. Atque huc referenda est ipsa etiam *Aqua Bristolensis* fontis „ quæ revera est aqua calcis naturalis, „ inquit MEAD *b*), & G. HARRIS *c*) „ de „ aquis mineralibus Britoliensibus (ait), „ quantum in hoc morbo prosunt, & quan- „ tam existimationem merito sint affectæ, „ jam vulgo & idiotis innotescit „: nempe BROKLESBYI *d*) quoque ægra efficaciam earundem experta testatur. Parum tamen illis tribuit WINTRINGHAM *e*) „ multi (in- „ quens) hypochondriaci viri (nec non & „ hystericæ mulieres) se aqua Bristolensi „ diu hausta sanatos fuisse crediderunt, qui „ hoc morbo nunquam laboraverunt; at pau- „ ci sanantur, qui revera diabete affecti „ sunt „. Sed cedo! cur ægram BROKLES- „ BYI diabete laborasse non foret creden- „ dum?



*a*) Vide Histor. 1. n. 2.

*b*) Expos. mech. vened. Tent. 1. p. m. 40.

*c*) l. c.

*d*) Vide Histor. 6. n. 1.

*e*) l. c. p. 144. sq.

## CAPUT V.

## DE STIMULANTIBUS.

## §. 65.

Ubi autem ea est vasorum renalium debilitas, ut non tam a laxitate quam paralytica fere potius eorundem atonia diabetes profiscatur, ejusmodi in casu nec roborantia nec adstringentia multum solatii ægro pollicentur, ut quæ nec sat efficaciter nec sat celeriter isthoc vitii genus oppugnent: atque tum *stimulantibus* nervinis agendum est, quorum usum in id genus casibus auspiciatum fuisse experientia docuit. Sic LISTERI a) miles vino cum Zingibere cocto, quantum & quoties potuit, bibito convaluit: sic etiam R<sup>a</sup> *antinonii* „ cuius effectum in nimio „ urinæ profluvio singularem aliquoties ex- „ p<sup>r</sup>us est „ WILLIS b), hystericæ ejusdem c) diabete[m] sustulit; ex omni tamen stimulantium penu efficacissima huc usque ad diabete[m] superandum reperta est R<sup>a</sup> *Cantharidum*. Præteream adversus diabete[m] in usum vocasse videtur T. MORGAN d), e cantharidum ℥ss & Elixirii Vitrioli ℥ij.

para-

a) Vide §. 17 c).

b) De morb. convuls. l. c. p. m. 509.

c) Vide §. 23.

d) Mechanical Practice of Physick. Lond. 1715.

paratam, cujus gtt. xv. ad xxx. bis terve in dies pro dosi exhibuit, cujus auctoritatem cum fructu IOHN BRISBAN a) est secutus, uti sequentia documento sunt. Vir juvenis celsus gracilisque, diabete jam aliquot menses laborans, morbum usque eo contemptul habuit, donec corpus viresque admodum defecissent: tum enim vero primum ad operam petendam adjecit animum. Data varia absque fructu, alumen & cortex Peruv. frustra erant, imo obfuere etiam, quod alvum obstruxerant. Paulo utiliora fuerunt emulsa amygdal. cum gummi Arabico; nihilo tamen minus vires pedetentim usque adeo defluxere, ut æger vix lecto egredi posset mortique vicinus videretur. Suspiciatus Auctor paralytici quidpiam nervis systematis urinosi hoc in morbo subesse, idcirco præbuit ℞<sup>ae</sup> Cantharidum gtt. x. in vitrello aquæ bis per diem tanto cum successu, ut eodem adhuc die morbus remiserit. Eapropter medicamenti dosin sensim ad gtt. xx imo xxx demum, simulque in usu emulsionis amygdal. cum gumm. Arab. pergendum iussit. Quo factum est, ut ægro in dies viribus & corpore proficiente urinæ quoque copia, color, saporque, qui prius lactis erat similis, sensim evaderent secundum naturam. Idem

---

a) Select. Cases in the practice of Medicine. Lond. 1772.  
P. 1. S. 1. Cas. 2. sqq.



hoc remedium postea in binis aliis etiam ægris, ac impari successu, tentatum est. Unus fabulo renum obnoxius ætate major priori, defecto corpore, cui cum remedium nec eadem, qua priori, doli ob fabulosam affectionem, præberi posset, nec ita cito malum minueret, tamen nonnihil levaverit, & aliis quoque remediis utendum esset, moræ peractus ad fontem Bristoliensem absque ulteriore sui fama concecit. Altera femina erat ad 40 annos nata, variis nervorum malis obnoxia, quæ per aliquot menses magnam lotii limpidi inodori intipidique vim reddebat; quam quidem R<sup>ae</sup> cantharidum usus, sed cum aliis simul antihystericis usurpatis, multum imminuit, ut perinde in ambiguo sit, horumne an illius efficacia id acciderit,

## §. 66.

Cum autem, simplexne vasorum renalium laxitas an paralytici quid simul adsit, non tam pronum sit discernere, non sine summa utilitate roborantibus adstringentibusque remediis stimulantia simul adiunguntur. Prudenti id consilio SYDENHAMUS a) adversus diabete[m] post febres intermittentes superstitem factitavit, præscribens:

R. Conf.

a) Epist. 1. Resp. §. 33.

℞. Conf. flaved. Aurant. ℥j.  
 Theriac. ANDROM. ℥j β.  
 Diafcond. ℥β.  
 Zingib. conditi  
 Nuc. mosch. cond. àà ℥iij.  
 ⚗ e chel. cancr. comp. ℥j β.  
 Cort. exter. granat.  
 Rad. Angel. Hisp.  
 Corall. rub. præp.  
 Troch. de terr. I emn. àà ℥j.  
 Boli Armen. ℥ij.  
 Gumm. Arab. ℥β.  
 Syr. de ros. ficc. q. s. F. Electuar.

S. ad magnit. nuc. mosch. maj. mane,  
 h. 5<sup>a</sup> a meridie, & ad noctem, per men-  
 sem, superbibendo cochl. vj. sequentis:

℞. Rad. Ennul. camp.  
 Imperator.  
 Angelic.  
 Gentian. àà ℥β.

Fol. Absin:h. Rom.  
 Marrub. alb.  
 Centaur. min.  
 Calaminth. àà M. j.

Bacc. Iunip. ℥j. incis. infund. in  
 Vini Canar. ℥ 5. Stent in infus. frig.  
 Coletur tantummodo tempore usus. Ele-  
 ctuarium quidem ob nimium opium rejicit  
 BU'HWA'DUS a), at immerito id quidem,  
 ut alias b) dictum est.

a) l. c.

b) Vide §. 60.

## CAPUT VI.

## DE PLASTICIS.

§. 67.

Quæ cum ad revellendos a renibus humores, tum emendandam vasorum urophororum atoniam, sopiendos in eorundem nervis obortos spasmos, aut paralyfin etiam tollendam faciunt, satis opinor hætenus feceram. In præfenti vero quæstio est, num necessum quoque sit, ad aquosam sanguinis tenuitatem seu amissam ejus plasticitatem animum advertere. Qui eam in diabete spurio adstruunt, non possunt non indicationem formare, ut & hæc primo quoque tempore (eodem nimirum, quo vasorum laxitati prospicitur) sanguinis tenuitas emendetur, ne omnia alia frustra sint; nam utcumque tonum vasis, nativumque nervis vigorem reddideris, tenuis nihilominus sanguis in aquosum laticem resolvi, perque renes roboratos licet elabi perget. Remedia requisitum ejusmodi lentorem sanguini conciliantia, quo minus postea in aquosum liquamen fatiscere facile queat, *plastica* audiunt. Verum si, quæ contra commenticiam hæc aquosam sanguinis tenuitatem superius attulimus *a*), in me-

---

(*a* Vide §§. 36. 37.

memoriam revocentur, facile apparebit, plus virtutis plasticis in diabete a theoria hypothetica tribui, quam miseri in praxi ægri experiuntur. Ipse оосг. SCHACHT a), aquosæ hujus tenuitatis assertor b), nihilominus fatari coactus est „ non tamen adeo „ magnæ, ut videtur efficacix „ esse glutinosa & mucilaginosæ medicamenta. Interea tamen non prorsus inutilia censenda sunt in curatione diabetis plastica, cum alia etiam sint, quæ usum eorum requirant, quamvis nulla sanguinis in aquosum liquamen dissolutio præsto sit; nam 1° acre, si quod in renibus stimulo suo affluxum humorum illuc allicit, ubi illud attingere, inviscant, & cum lotii torrente auferunt. Ad quod efficiendum vel maxime ex eo sunt idonea, quod lentorem suam ne ipsa quidem multiplici circulationis actione tam facile amittant, ita ut integris viribus acre illud attingere valeant. 2° Nutriunt corpus a diabete extenuatum. Hujusmodi plastica sunt a) Lac animale, ejusque serum, præcipue chalybe simul efficaciora reddita. b) Emulsiones seminum oleo ac mucilage præditorum, ut sunt Amygdalæ, &c. c) Gummi Arabicum, aliæque blandæ mucilagines. d) Gelatinæ e C. C. &c. Sed de his alibi c) etiam erit dicendi

I 5

op-

a) l. c. §. 12.

b) Vide §. 36.

c) Vide §. 72 a. 1.

opportunitas; unum id adjecero, a GRIMMIO *a*) ægrum ex abusu potus Theati diabeticum lacticiniis ac emulsis e semin. 4 frigidis majorib. fuisse percuratum.

---

## CAPUT VII.

### IDE EXTERNIS IN CURANDO DIABETE REMEDIIS.

#### §. 68.

I. SANGUINIS MISSIO, quamvis scopo revulsionis necessaria videri posset; tamen ubi ubi facta fuisse legitur, nusquam emolumento cessit, quemadmodum in adductis nonnullis casibus videre est: imo in malo a passione hysterica oriundo indubie officit, velut in ægra BROKLESBYI *b*) accidit. Hinc merito quærit OOST. SCHACHT *c*), an V<sup>æ</sup> S<sup>o</sup> dlabeti facienda?

#### §. 69.

2. FOTUS, LITUS, CERATA, nervina roborantia adstringentia, &c. lumbis & ossi sacro applicita idem sæpe præstiterunt, quod ejusdem virtutis remedia intrinsecus assumpta.

Ce-

---

*a*) Vide §. 16.

*c*) l. c. §. 12.

*b*) Vide Histor. 6. n. 3.

Cerato ejusmodi AMATI a) æger cum fructu usus est; nec parum SWIETENII b) hortulano profuit oxycratum renum regioni admotum. Apud RIEDLINUM c) femina 50 annis major per aliquot annos urinam limpidam tanta quotidie reddebat copia, quæ potum 3. vel 4 dierum æquabat, idque continenter fere, ut vix una alterave hebdomade ab hoc profluvio esset immunis: unde & vires & corporis habitum minui sentiens, cum ab internis remediis abhorreret, exterum a Medico rogavit. Suasit is, *unguentum Comitissæ* d) renum regioni bis quotidie applicaret. Mire profuit. Iuculentiores binos casus WHYTT e) observavit. Vir 30 annor. post febriculam lentam cum doloribus rheumaticis 10 aut 12 dies affigentem cœperat copiam urinæ limpidæ noctu præsertim reddere; quod malum cum nec cortex Peruv. nec R<sup>a</sup> rosar. nec alia remedia, per 35 dies exhibita minuisent, lumbis & ossi sacro *Empl. defensivum*, amplum est admotum: unde cum prius æger raro ultra sesqu. horam in lecto non micturiret, nunc trihorio primum post, quam decubuit, lotium reddidit. Postera nocte 4 horis non micturiebat, & copia lotii tota nocte missi  
non

a) Vide §. 17. a).

b) Vide § 72 in fine.

c) L. n. med. ann. 4. Majl

12. p. 381.

d) Vid. Dispens. Pharm. Wienn. fol. 227.

e) l. c. p. m. 386. sqq.

non excessit  $\frac{1}{2}$  pintæ, cum tamen ante ab aliquot septimanis omni nocte 3 plerumque pintas, & amplius interdum, reddiderit. Non dum hebdomas ab emplastro applicito effluxit, cum urinæ copia coloreque naturali reversis æger convaluit. Idem vir exacto quinquennio post febrim cum tussu toleratam in pristinum relapsus est malum: emplastrum idem rursus admotum non jam eundem præstitit effectum; forte quod nec cortex, nec alia roborantia, ut ante, usui emplastri sint præmissa. Alter quinquagenario major post diuturnam febrem in diabetem nocturnum incidit, cui post exhibitum corticem Peruv. vinum rubrum, & alia, emplastrum idem ad lumbos applicatum profluvium intra paucos dies insigniter quidem imminuit, morbus tamen non nisi aliquot post hebdomadis ex integro desit.

## §. 70.

3. FASCIA lumbis arte circumdata nonnunquam eundem, quem cerata, effectum præstat. Narrat rursus WHYTT a) quadragenarium flatibus ventriculi; pedumque podagricis doloribus afflictum, nauseas cum pulsu celeri sentire cœpisse, lectum ideo petiisse, & aliquot continenter diebus sudori vacasse.

Post

---

a) Ibidem p. 385. sq.

Post hæc vero tanta ocepit urinæ limpida vis profluere, ut plerumque omni bihorio pintam efficeret. Iecto relicto copia lotii minuebatur, idque tanto magis, quo plus diei processit. Quamvis autem per 14 dies cortex Peruv. conserva Ros. alumen, aliaque in usum vocarentur, profluvium tamen adeo increfcebat, ut postremis binis diebus urinæ interdium tantundem, quantum noctu, proflueret. Suspiciatus Cl. Auctor profluvium hoc ab renum vel laxitate vel debilitate vel singulari motu alterno proficisci, iussit a meridie hora 2<sup>a</sup> abdomini lumbisque ægri cingulum equestre tam arctè circumduci, quantum ipse tolerare posset. Quo factum est, ut cum toto ante mane, præcedentique die omni bihorio non minus  $\frac{3}{4}$  pintæ lotii aquæ fontis instar limpidi effluxisset, a cingulo circumdato fere intra 4 horas nulla, nec postea integra  $\frac{1}{2}$  pinta illius reddita sit: tantundem fere hora 10<sup>ma</sup> vespertina prodiit. Cum vero ob molestiam noctu cingulum fuisset remotum, profluvium quidem revertit, non tamen tantum, ac prioribus noctibus. Ab hoc vero tempore cingulo non amplius remoto, cum æger curru vehi, tenerisque carnibus (a quibus ob sitim celestemque pulsum fere prorsus abstinerat) rursus vesci cœpisset, diabetes in dies remisit, ægerque convaluit.



## §. 71.

4. BALNEA *frigida*. CELSUS a) in profluvio urinæ tenuis vetat sæpe diuque balneo uti: contra ea si urina est crassior, longiorem in balneo moram concedit. Sed de calidis cum balneis agere satis liquet. Interea longe utilissima sunt in diabete balnea frigida, & memorabile hanc in rem exemplum ZACUTUS b) profert: juvenis gracilis iracundus vini generosi potui deditus post superatam ardentem febrim in diabetem incidens omnem potum illico remingebat nihil mutatum. Aderat simul viscerum dorsi-que ardor cum siti non sedanda: indies cum aquæ tum cerevisiæ fere ℥. 90 epotas ocyus eodem colore odore saporeque reminxit. Variis nequidquam tentatis cum in dies extenuaretur magis, arderentque præcordia, nudus balneo aquæ gelidissimæ sæviente bruma se immisit. Postero die cum sitim inde remisisse observaret, balneum idem per horam usurpavit: quod cum 20 dies quovis mane factitasset, convaluit. Mirabilius longe est, quod memoriæ prodidit MICHELOT-TUS c): puella ℥. 50 ponderans anni spatio ultra ℥. 20000 eminxit; in morbi acme copia urinæ intra 24 horas missæ ℥. 135. pependit, cum tamen potus, jura, lac,

a) L. 4. C. 20. §. 2.

b) Prax. hist. L. 8. C. 17. observ.

c) Epistola ad amicum.

lac, assumpta ℥. 15 non exceſſerint. Vigor hic morbi ſummus 4 menſes duravit. Antea vero pondus lotii miſſi erat ℥. 60. 70. 90. Aderat ſomnus rarior, inſignis macies, vires debiles, ſuis vero non ita ardens. Poſt plurima inc.ſum tentata ſanata eſt tandem uſu balnei frigidi per plures dies continuati.

---

## CAPUT VIII.

### DE REGIMINE DIÆTETICO.

#### §. 72.

Diæteticum in diabete regimen oportet eſſe remediis cum internis tum externis conforme: in diabete ſpurio ad bina fere capita reduci poterit, videl. ut aquoſa humorum pars immi- nuatur, & quæ jam adeſt, ab renibus aliorſum avertatur. Primum obtinetur, vitando alimen- ta aquoſa ac in primis diuretica „ vitanda „ omnia ſunt, inquit CELSUS a), quæ uri- „ nam movere conſuerunt „: alterum vero aſſequimur, ſi jubente SWIETENIO b) „ tota „ cutis ſuperficies laxa & maxime perſpira- „ bilis ſervetur „. Hinc

I. ALIMENTA medicata ac nutrientia ſunto, „ cibus comprimens, vinum aſte- „ rum

---

a) l. c.

b) l. c.

„ rum meracum, per æstatem frigidum, per  
 „ hyemem egelidum, sed tantum, quantum  
 „ minimum sit „ monente CELSO a), li-  
 „ quidem „ urina tenuis est „ contra vero  
 „ si crassa urina est, . . . cibis opus est  
 „ teneris, vinum idem „ . Verum tamen  
 atrophix simul ac virium ratio ineunda erit,  
 quæ exigunt alimentum nutriens, cito rehi-  
 ciens. Idcirco ab omnibus *diæta lactea*  
 consulitur, quæ tamen ne morbo faveat,  
 utile est lac chalybeatum ad illam adhibere.  
 Sola diæta lactea cum adstringentibus me-  
 dicamentis MORTONUS b) senem fere se-  
 ptuagenarium diabeticum, hectica tæbe vix  
 non jam consumptum, pristinx valetudini  
 restituit. Hujus perinde filius c) a diabete  
 diu neglecto epilepticis ac vertiginis insul-  
 tibus sæpe prehensus & in progressu morbi  
 tabescens, usu diæta lacteæ, aquarum Tum-  
 brigiensium & adstringentium a morbo est  
 liberatus.

2. MOTUS *muscularis*, si vires admit-  
 tant, non est negligendus „ & si vires, ait  
 „ SWIETENIUS d), adhuc consent, labo-  
 „ ribus exerceatur corpus ad sudores usque;  
 „ novimus enim per sudores urinæ copiam  
 „ minui: unde ætivistis sub caloribus duro  
 „ labore corpus exercentes homines maxi-  
 „ mam

a) l. c.

b) l. c. Hist. 2.

c) Ibid. Hist. 1.

d) l. c.

„ mam sæpe copiam tenuis cerevisiæ bibunt,  
 „ & vix urinam reddunt, dum in his omne  
 „ liquidum ingestum per sudores fere dif-  
 „ flatur de corpore „ . Ideo CELSUS a)  
 „ opus (ait) est exercitatione & fricatione,  
 „ maximeque in sole vel ad ignem „ .

3. „ FRIGUS vitandum summopere; quia  
 „ inde derivatio humorum versus renes au-  
 „ getur, dum per cutim exhalatio tolli-  
 „ tur „ inquit SWIETENIUS b), & idcirco  
 etiam auctor est, ut

4. SOMNUS diabeticis sit longior, sub  
 quo perspiratio promovetur.

„ Hac methodo curare SWIETENIUS c)  
 „ potuit hunc morbum in hortulano, simul  
 „ cum his victum siccum adhibendo, & oxy-  
 „ crato madidos spannos laneos renum re-  
 „ gioni applicando. Somno... longiori in-  
 „ dulgebat, nec nisi dudum jam orto sole  
 „ consuetis laboribus se accingebat, caute  
 „ simul vespertina frigora vitans, diurnis  
 „ vero laboribus eo acrius exercitis temporis  
 „ hanc jacturam redimebat. Trimestri ta-  
 „ men spatio opus fuit, antequam recru-  
 „ descens subinde morbus, quamvis jam  
 „ mitior, penitus debellaretur „ .

a) l. c.

e) Ibidem.

b) l. c.

## HISTORIA I.

TH. WILLISII. a)

1. „ Comes quidam — temperamenti san-  
 „ guinei, vultus floridi, atque in ipso æta-  
 „ tis suæ vigore, incertum ob quas πρo-  
 „ φάσεις, ad diuresin nimiam proclivis eva-  
 „ sit: cumque adeo per plures menses uri-  
 „ næ profluvium subinde pati solitus esset,  
 „ tandem in diabetem (uti videbatur) con-  
 „ firmatam, ac pene deploratam incidit.  
 „ Præterquam enim quod nycthemeri spa-  
 „ tio urinæ limpidæ mire dulcescentis &  
 „ quasi mellitæ fere sesqui congium excer-  
 „ neret, insuper sibi immani, ac febre vel-  
 „ ut hectica cum insigni spirituum languo-  
 „ re, virium concidentia, & totius corpo-  
 „ ris intabescencia afficiebatur.

2. „ Cum hoc tempore ad consulendum  
 „ cum medicis celeberrimis — accerserer,  
 „ remedia sequentia, quorum usu brevi con-  
 „ valescere visus erat, præscripta fuerant:

℞. Summitat. arboris Cupressi M. viij.  
 Album. Ovor. conquassator. ℞. ij.  
 Cinnamomi ℥ β. minutim incisus  
 affunde

Lactis recentis ℥. viij. Destill. or-  
 ganis communibus, cavendo empyreuma.  
 Capiat ℥vj. ter in die.

℞. Gumm. Arab. Tragacant. aa ℥vj.  
 Sacch. Pened. ℥j. f. ♂ S. circ. ℥j.  
 vel ℥iſſ bis in die cum aq. destill. ℥iij.  
 vel ℥jv.

℞. ♂ Rhabarb. gr. xv.  
 Cinnamom. gr. vj. f. ♂ S. ma-  
 ne, repetendo intra 6. vel 7. dies.

℞. Aq. Paralyseos ℥iij.  
 Cinnam. hord. ℥ij.

Syr. de Mæconio ℥ſſ. f. hanſtus  
 fumend. omni vespere. Diæta fere tantum  
 ex lacte, quod modo crudum, & vel  
 aqua destillata vel aqua hordei dilutum,  
 modo coctum cum pane albo vel hordeo,  
 aliquoties in die sumebat. Horum usu  
 cum in dies melius habuerit, intra men-  
 sem pene sanatus videbatur. Quando  
 modice convalescere cœpit, urina insipi-  
 da liquidi assumpti quantitate haud mul-  
 tum superabat, & deinceps non nihil  
 salsa potulentis ingestis copia minor fuit:  
 dein paulatim solito spirituum tenore &  
 viribus pollens ad pristinam diætam red-  
 ibat .

3. „ At vero diathesis in hunc mor-  
 bum haud ita penitus cessabat, quin post-  
 ea crebra vice, propter inordinationes in  
 victu, & forsitan ob mutationes circa anni

„ tempora, in recidivam aptus, urinam  
 „ primo copiosiore, ac dein limpidam &  
 „ dulcescentem cum siti & febricitatione &  
 „ spirituum languore reddebat. Eorundem  
 „ vero medicamentorum usu brevi rursus  
 „ evadere solebat.

4. „ Non ita pridem post longius rectæ  
 „ valetudinis intervallum, paulo antequam  
 „ urinæ profluvium pati cœperat, magnas  
 „ in nervoso genere enormitates, & deli-  
 „ quia passus est, videl. in cerebro torpo-  
 „ rem & vertiginem, in membris subitos  
 „ spasmos, tendinum subsultus, & quasi  
 „ venti huc illuc repentis varios transcur-  
 „ sus perferens. Deinde cum remediorum  
 „ idoneorum usu prædicta symptomata sa-  
 „ nari videbantur, diabetes more solito,  
 „ sc. materia e fibris & partibus solidis in  
 „ sanguinem, & inde ad renes & vias uri-  
 „ narias, exundante recrudescibat.

5. „ Sub hoc tempore prædicti Medici  
 „ in consilium vocati, methodo ac remediis  
 „ pene iisdem ac prius utendum præcipiunt:  
 „ quorum usu cum intra paucos dies melius  
 „ habere cœperat, aquam calcis vivæ ter  
 „ in die ad ℥v. vel vj. sumendam præscri-  
 „ bere visum erat; quo remedio per quatri-  
 „ duum usus urinam in quantitate modica,  
 „ bene tinctam, & non nihil falsam red-  
 „ „ de-

„ debat, & quoad reliqua fere sanus, uti  
 „ olim fuerat, videbatur „ .

a) Pharmaceut. rational. Sect. 4. C. 1. p. m. 95. sq.

## HISTORIA II.

RUD. IAC. CAMERARII b).

I. „ Quæstor Principis ad Rhenum su-  
 „ perum, habitu corporis præditus medio-  
 „ cri, ad senectutem usque sanus, nec mor-  
 „ bis nec medicationibus obnoxius, nisi  
 „ quod interdum spasmi pedum flatulenti,  
 „ & olim doloris coxæ leve quid senserit,  
 „ præ sociis tamen frequentius per noctes  
 „ mittere urinas, quod recordatur, solitus,  
 „ viduus modo, ab autumno anni 1705.  
 „ deducit principium mali longi, doloris  
 „ & difficultatis in mingendo, quam equi-  
 „ tationis & rhedæ motibus vellet adscri-  
 „ bere, exacerbationem utique hinc ex-  
 „ pertus.

2. „ Hic annorum circ. 63. lectica huc  
 „ delatus, inter nos vixit a Julio 1706.  
 „ ad Februarium 1707. & diabetis stran-  
 „ guriosi periodici phænomena exhibuit  
 „ sequentia: erant dolorum intervalla &  
 „ paroxysmi. Hi vix solebant recurrere



„ ante 8. vix emanere ultra 15. dies: du-  
 „ rabant per diem in noctem, remittentes  
 „ die altero, cum reliquiis sensus adhuc  
 „ teneri per tertium, quo vel 4<sup>o</sup> licebat  
 „ seni prodire in publicum, quasi nil passio,  
 „ satis commode, adhuc vegeto. Erant  
 „ primo cum urinæ multæ missione, dein  
 „ pauca urgentia vehementer dolorosa, non  
 „ sine nixibus, ardore, puncturis, stricturis  
 „ per ventrem deorsum, quin totius con-  
 „ tentione corporis ad vesicam; varii tamen  
 „ paroxysmi, modo breviores & leviores,  
 „ alia vice graviores & longiores, forte ad  
 „ anomalias aëris & diætæ: sæpius mane  
 „ incipientes quam alio tempore, e. g.  
 „ mane urina multa, sensim dolor, meridiæ  
 „ intensior, in summo ad noctem, ab hu-  
 „ jus medio remissior. Sic misere trans-  
 „ actæ noctes, jacendo forte per  $\frac{1}{4}$  horæ,  
 „ & subdormiendo, mox ad torturam cur-  
 „ rendo per cubiculum.

3. „ Urinæ quantitas ab hora 3<sup>a</sup> matut.  
 „ ad meridiem circ. mensura  $\frac{1}{2}$  & ultra, a  
 „ meridiæ in noctem libra plus minus una;  
 „ sic per 24 horas paroxysmi ad sesqui  
 „ mensuram. Abhinc sub intermissione  
 „ quantitas multo minor. Qualitas primo  
 „ sublavescens, clara, citrina, straminea,  
 „ tandem quasi aquea, nunquam rubra,  
 „ matulam obducens crusta alba, nunquam  
 „ cum sabulo aspero vel lapillis: nihil ho-  
 „ rum

„ rum nec tunc nec olim excretum. Sedi-  
 „ mentum talis per paroxysmos collectæ  
 „ urinæ album, nec durum aut arenosum,  
 „ nec tenax mucosum, sed pultaceum vel  
 „ quasi cretaceum, acris odoris, raro cum  
 „ gutta cruoris in imo: hæc cum alvi quo-  
 „ dam tenesmo, & familiari sicclitate; tar-  
 „ dabat ipsa plerumque in diem tertium; ab  
 „ humida, lubrica, levamen aliquod: nihil  
 „ unquam ex ipsa cruenti, nihil tumidi per  
 „ marginem.

4. „ Extra paroxysmos a descensu scala-  
 „ rum, inclinatione corporis antrorsum,  
 „ conversione subita in lecto, sensus levis  
 „ quidem irruptionis tamen cujusdam in ve-  
 „ sicam. Nullus unquam ibi sensus pon-  
 „ deris, nec volutionis, nec dolor a com-  
 „ plicatione crurum. Nihil tunc molesti  
 „ per hypogastrium, vel perinæum, minus  
 „ in lumbis, perque dorsum reliquum. Ca-  
 „ put, pectus, venter, artus in salvo.  
 „ Nec horrores, nec calores: non vomitus,  
 „ non tormina; non dum magna sitis, quam  
 „ valde auctam audivi sequenti tempore:  
 „ appetitus in mediis doloribus constans.  
 „ Corpus sensim rugosius quidem, senile,  
 „ non tamen consumptum; quin sub ipsis  
 „ dolorum tormentis deliberatio de altero  
 „ conjugio: quod tamen intermissum. San-  
 „ guis autumnò missus e brachio sinistro

superficiæ quidem pulcræ, spumosæ, ju-  
sto tenacior, cascæolus natans in suo sero.

5. „ Ab affectu hoc doloroso periodico  
cum spe non semel bona sub longiuscu-  
lis intervallis & paroxysmis lenioribus  
sustentatus, delinitus, sublevatus quidem,  
non tamen plene liberatus noster, per tam  
externa linimenta, epithemata, fomenta,  
& enemata paregorica, quam interna gum-  
mosa, gelatinosa, blanda balsamica, oleo-  
sa, emulsiva, absorbentia cum nitrosis,  
& repetita laxantia.

6. „ Discessit post  $\frac{1}{2}$  annum, lectica ite-  
rum delatus versus Rhenum medium: un-  
de aliquoties non aliud de ipso inaudii,  
quam vexari ipsum doloribus jugiter, cum  
sedimento urinæ modo cruentæ, modo  
non, constanter albo, crasso; & negari  
passim, uti apud nos, subesse vesicæ cal-  
culum, præ angustia viarum catheterem  
non admitti amplius, qui quidem apud  
nos nunquam fuerat applicitus.

7. „ Vario tandem fato actus rediit ad  
Nidrum, & die 21. Febr. A. 1711.  
Nurtingæ mortuus. . . Medico corpus con-  
cessit ad inspiciendum. Cui quidem pri-  
mo admirationi fuit superstes pinguedo  
abdominis spissa & copiosa satis, post  
tot annos dolorum, in hac ætate, quip-  
pe 68<sup>um</sup> supergressi. Secundo vesica  
urinaria monstroso aspectu, similis massæ

„ carneæ, duorum pugnorum magnitudine,  
 „ substantiæ fibroso-glanduloso-scirrhosæ,  
 „ circum circa ad usque cervicem duorum  
 „ pollicum crassitie, quæ cum membro &  
 „ imo musculorum abdominis omnino jam  
 „ gangrænam conceperat: dum reliquum  
 „ corpus in partibus principalibus videbatur  
 „ esse adhuc sic satis bene constitutum. Ca-  
 „ vitas ipsa vesicæ adeo incrassatæ vix major  
 „ nuce juglande habuit ne guttam urinæ,  
 „ nec granulum arenæ, parum tamen spif-  
 „ siusculi & spumosi albi muci, tantum ab-  
 „ est, ut fuerit obsessa calculo. Adfuit  
 „ etiam hernia utriusque lateris, de qua si-  
 „ lentium adhuc apud nos. An nixibus  
 „ demum contracta? . . . .

8. „ . . . Sedimenti urinæ . . . maf-  
 „ sula . . . exsiccata cum prunæ impone-  
 „ retur, non dedit fulgur, non stridores,  
 „ nec crepitus, non ebullit, noluit accendi,  
 „ fumavit foetide, ablit in carbonem atrum,  
 „ digitis facillime conterendum. Altera in-  
 „ jiciebatur oleo tartari per deliquium, sed  
 „ absque eo, ut ibi moveretur vel mutare-  
 „ tur. Tertio acetum avide quasi arripuit,  
 „ sine motu tamen vel lucta. Cum vero  
 „ matulæ adhærens sicca crusta elueretur  
 „ aceto, manifestus inde erupit fumus. Li-  
 „ quor decantatus post calorem in frigore  
 „ nil reliquit figurati. Quarta tandem se-  
 „ dimentum particula per aquam fortem primo

„ etiam non videbatur affici, sed brevi post  
 „ exhibuit multam desuper spumam: rubuit  
 „ parum hæc, & aquam levi rubedine tin-  
 „ xit, pariter autem crystallifari noluit „.

b) *Miscell. nat. cur. Cent. 3 & 4. obs. 10. p. 20.*

## HISTORIA III.

CHR. SCHUCHMANNI c)

I. „ **R**usticus quidam annor. 50. cache-  
 „ ticus, dormiens de nocte, gravissimo  
 „ lassatur somnio. Expergefactus cussi ve-  
 „ xatur cum respirationis non exigua diffi-  
 „ cultate. Surgens de lecto tumentes circa  
 „ talos videt pedes, ut & præcordia, cum  
 „ primis vero regionem scrobiculi cordis.  
 „ Consilium ex me petenti non solum pro  
 „ circumstantiarum ratione medicamentis  
 „ prospexi, sed & de faciendis ac vitandis  
 „ quoad sex res non naturales patientem  
 „ monui, superaddito simul prognostico in-  
 „ stantis anasaræ, quam ex facie tumida,  
 „ laxiorique corporis habitu facile conjectu-  
 „ rare licebat. Consumta in hunc finem  
 „ pharmaca cum illum onere, quo hæctenus  
 „ pressus, maximam partem levarent, cete-  
 „ ra, me licet dissuadente, naturæ commit-

„ tere

tere decrevit. Nec, habita victus ratio-  
ne, spe sua penitus excidit; siquidem  
per aliquot menses quotidianis iterum la-  
boribus præesse potuit.

2. „ Revertens dein post 3. menses  
facie pallida, conquerebatur de summa vi-  
rium prostratione, siti intensissima, &  
quod adhuc ægrius ferebat, cerevisia il-  
lam restinguere non licebat; simul ac  
enim hanc degustabat, intensissimi ex-  
inde concitabantur capitis dolores roden-  
tes æque ac punctorii. Mitiozem autem  
semper experiebatur aquæ potum, sed  
propter hydropis merum pariter suspe-  
ctum. Studio igitur per totos sæpe dies  
ab omni potu abstinuit, & prostrato si-  
mul appetitu cibum fastidire cœpit. Sed  
nihil obstante hac abstinencia per singulas  
tamen semihoras de nocte surgere, &  
magna copia urinam aquosam penitus &  
non nihil viridem reddere cogebatur, in-  
sequente simul insigni virium debilitate,  
& corporis atrophia.

3. „ Seposita autem communissima illa  
indicatione, qua in cura diabetis nothæ  
ad temperandam nimiam succorum falso-  
acidorum acrimoniam manu quasi ducimur,  
ad bilem solummodo viscerumque læsum  
tonum respexi: atque ideo pulv. dedi ex  
amaricantibus & catechu præpar. una cum  
Els. Absinthii composita, itemque postea

„ Eli-

„ Elixir. propr. sine acido. Quibus per  
 „ 3. septimanas ad præscriptum usurpatis  
 „ ita convaluit, ut non tantum cerevisiam  
 „ dehinc impune iterum bibere potuerit,  
 „ sed & a molestissima illa p. n. urinæ  
 „ excretionē penitus fuerit liberatus. Per  
 „ quinque subsequentes annos vitam satis  
 „ commode degit, laboresque suos obire  
 „ potuit: tandem tamen hydropicus factus  
 „ . . . periit „ .

e) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 1. obs. 101.

## HISTORIA IV.

IO. HERM. FÜRSTENAU d).

I. „ **V**ir. . . 40. ætatis annum agens,  
 „ temper. melancholico-cholerici, staturæ  
 „ proceræ, laboribus corporis vehementio-  
 „ ribus deditus, simul ob rem angustam  
 „ domi non adeo laute pastus, corripitur  
 „ M. Augusto A. 1728. febre acuta conti-  
 „ nua h. l. passim epidemia, a qua con-  
 „ gruorum remediorum usu post 3. 4ve  
 „ septimanarum lapsum belle liberari visus,  
 „ cathartico quoque in fine curæ adsumpto,  
 „ sed parcius operante, ad labores consue-

» eos rediit. Sed cum perfecte sibi resti-  
» cutus videretur,

2. » Medio Octobr. adest uxor, quæ  
» ad sitim, urinæ profluvium immodicum,  
» & corporis contabescentiam, . . . quibus  
» maritum jam per aliquor dies laborare  
» affirmat, auxilium petit. Accedens pau-  
» lo post ægrotum, ipsum deprehendi fe-  
» bre simul lenta laborare, æstu urente, &  
» siti fere inexstinguibili, circa vesperam ex-  
» acerbatis, adesse vigilias perpetuas, vires  
» valde prostratas, ægro licet per interval-  
» la obambulante, & præterea dolores in  
» regione, quam monstravit sub costis,  
» hypochondriaca sinistra acerbos, & nun-  
» quam ipso viro prorsus desistentes, & de-  
» mum V<sup>te</sup> S<sup>e</sup> me incio & non rogato  
» administrata, pelliculam densam cruci  
» innatantem, qualis sanguis pleuriticorum  
» esse solet, una cum pulsû debili & duro,  
» offendi, urinam vero sæpius ostensam  
» non nisi limpidam & aquæ instar simpli-  
» cis pellucidam nunquam non conspexi.

3. » . . . Lacteam diætam, uno ore ab  
» omnibus laudatam, ante omnia commen-  
» davi, præsertim cum æger sua sponte  
» narraret, paucos ante dies lac ebutyratum  
» in pago vicino tanto cum desiderio &  
» tali euphoria hausisse, ut non meminere  
» se per omnem vitam delicias gustasse  
» huic saporî suavitate pares. Curavi ergo,



„ ut emulsionibus amygdalinis & papavera-  
 „ ceis aliquoties haud parvo præbio additis  
 „ necessariis, gratis paratis, tum vero &  
 „ lacte vaccino æquali aquæ parte diluto &  
 „ cocto, quantum liceret, . . . frueretur.  
 „ Hujus vero usum, seposito ad tempus  
 „ omni reliquo potus genere, quamvis non  
 „ incommode ferret, de siti tamen clamor  
 „ & nequiquam exstinguibili perpetuæ ad-  
 „ erant querelæ. Nullum vero remedium  
 „ sub sole, quod notum esset Nitro in fal-  
 „ lenda siti par, illud . . . ita propinare  
 „ ausus sum, ut additis digestivis & ab-  
 „ sorbentibus, item Cascarilla, Gummi Arab.  
 „ & terra Japon. parvis, sed repetitis dosi-  
 „ bus propinarem: quo facto sitis non pa-  
 „ rum remisisse, æger vero tolerabilius de-  
 „ gere aliquamdiu visus est, præsertim cum  
 „ sumpta aliquoties meo suasu circa noctem  
 „ Theriacæ Venetæ dosi somnum placidum,  
 „ diu hætenus non visum, maximo sui  
 „ suorumque solatio experiretur . . . Tinctu-  
 „ ram Antimonii . . . admisto  $\sphericalangle$  C. C.  
 „ Volat. loco tonici & roborantis . . .  
 „ propinare (non) oblitus sum.

4. „ Eventus autem morbi talis fuit,  
 „ ut postquam æger per 4. 5. septimanas  
 „ dubiam valetudinem expertus esset, &  
 „ ultimo circ. octiduo una cum alvo durissi-  
 „ ma & clysteribus aliisque nequiquam ob-  
 „ noxia hæmorrhoides aliquando apertas in

„ notabili quantitate vidisset . . . a die 6<sup>o</sup>  
 „ usque ad d. 10. Novembr. vomitu assum-  
 „ ptorum perpetuo, cordis ardore, dolore,  
 „ & anxietate incredibili, & summa visium  
 „ prostratione, accedentibus, cum pulsu de-  
 „ bili tremulo & demum plane deficiente  
 „ die 10. Novemb. . . . in ipso meridie  
 „ mentem sibi usque constantem efflaret „ .

5. „ Facta post obitum cadaveris sectio-  
 „ ne, quam sumptus sepulturæ miseræ viduæ  
 „ suppeditando ægre licet impetravimus, in  
 „ abdomine ventriculum valde extenuatum,  
 „ & mucō omni destitutum, intestina fla-  
 „ tibus expansa, & lienem ingentis magni-  
 „ tudinis, & sanguine multo crasso suffar-  
 „ ctum, reliqua vero omnia salva: in pecto-  
 „ re omnia secundum naturam, nisi quod  
 „ paucus & crassus adesset sanguis in vasis,  
 „ & in corde cum vasis majoribus exen-  
 „ terato pusillus polypus sub grumis sanguinis  
 „ delitescens conspiceretur. Cranio vero  
 „ denudato, meninge dura discissa e regione  
 „ muscoli temporalis sinistri serum flavescens  
 „ in notabili quantitate, & in gyris ac  
 „ concamerationibus cerebelli sanguis con-  
 „ grumatus occurrit: unde vomitum, &  
 „ anxietates præcordiales summas, ipsamque  
 „ mortem multis inopinatam derivandam esse  
 „ oensui „ .

дѣлѣннѣя, Miscellan. Phys. Med. Mathem. A. 1730 Maj.  
 Cl. 4. Art. 4. p. 1076. sqq.

## HISTORIA V.

I. B. MORGAGNII e).

I. „ **C**ivis meus, vir Patritius H. M.  
 „ annos natus amplius 60. quadrato corpo-  
 „ re & robusto, facie rubente, habitu ad  
 „ obesum iacclinante, herniosus, adolescens  
 „ virulenta gonorrhœa laboraverat, semper  
 „ vero multum, sæpe etiam merum biberat.  
 „ Cum multum quoque & creberrime min-  
 „ geret, vix anno ante levi quodam reten-  
 „ tionis urinæ principio tentatus fuerat.  
 „ Anno autem 1710. IV. Nonas Martii  
 „ quasi repente omnino suppressa est. Affi-  
 „ nis ejus Medicus clysteribus, balneis,  
 „ sanguinis ex hæmorrhoidibus missione,  
 „ remediis etiam, quæ tunc summi adstri-  
 „ ctam alvum moverent, auxilium afferre sat-  
 „ agebat; sed incassum. Itaque demum  
 „ catheterem immitti jussit: quod non ita  
 „ difficulter & tum & postea peractum est.  
 „ Singulis autem immisionibus 7. ferme  
 „ urinæ libræ, etsi modicum, quod pota-  
 „ ret, daretur, primis quidem diebus ex  
 „ quo illud cœpit fieri, educebantur. In-  
 „ termediis, nam dies vixit circiter 15.  
 „ paulo pauciores: ultimis rursus ad septem.  
 „ Et primis quidem diebus aliquem ad min-

„ gen-

„ gendum sentiebat stimulum, nullum in-  
 „ termediis, rursus aliquem ultimis. In  
 „ urinis interdum aliquid sanguinis conspe-  
 „ ctum est, interdum quædam parva quasi  
 „ membranarum tenuium frusta. Postre-  
 „ mis diebus alterius humeri dolor accessit,  
 „ febris penultimo; novissimo, cum post  
 „ eductum mane lotium argentea fistula ex-  
 „ traheretur, animadversum est, tinctam  
 „ esse, id quod antea acciderat nunquam,  
 „ haud secus ac si in vitriolico humore fuis-  
 „ set. Eo die ad vesperam inclinante ecce  
 „ rigor & tremor, calente tamen cute;  
 „ hinc pulsus obscuratio; quo iterum se non  
 „ sine intermissionibus prodente alter accidit  
 „ tremor: hora autem 5<sup>a</sup> noctis mors.

2. „ Cadaveris dissectioni rogatus cum  
 „ aliis Medicis interfui postridie sub pri-  
 „ mam noctem, quò tempore ab eo, qui  
 „ medicinam fecerat, a Chirurgo, ab aliis-  
 „ que eadem omnibus confirmantibus ea,  
 „ quæ modo sunt scripta, accepi. Perito-  
 „ næum vidimus, ad hypogastrium præser-  
 „ tim, livens, intestina autem ferme sub-  
 „ livida: in summo distentæ vesicæ fundo  
 „ exterius vasa sanguine turgida, interio-  
 „ rem tunicam hic illic rubescentem: tuni-  
 „ cas autem omnes crassiores multo, quam  
 „ æquum esset; itaque vel emisso lotio,  
 „ majorem, quam solet, magnitudinem ve-  
 „

„ fica retinebat. In eo priusquam totum  
 „ emitteretur, grumum non ita parvum  
 „ animadvertimus libere natantem, qui ni-  
 „ hil magis, quam semilaceram hydati-  
 „ dem, referebat: mihi vero attentius ex-  
 „ aminanti tennis polyposa concretio visus  
 „ est, quæ membranulas in se convolutas  
 „ & concidentes mentiretur: ejusdemmodi  
 „ autem parva illa fuisse frustra, quæ in ex-  
 „ tracta urina interdum apparuissent, ii, qui  
 „ viderant, affirmabant. Cum igitur cau-  
 „ sam hujus suppressionis inquireremus, ad  
 „ imam vesicam se se obtulit. Prostata  
 „ glandula præter naturam tota extume-  
 „ scens, eaque duritie prædita, ut quasi  
 „ ex cartilaginis & ligamenti commista  
 „ substantia constare secantibus videretur.  
 „ Alba erat, nisi quod locis quibusdam,  
 „ præsertim vero in utraque superficie, a  
 „ stagnante in vasis sanguine nigricabat,  
 „ idque a dextris magis, qua ex parte scro-  
 „ tum magna distendebat enterocèle „ .

## HISTORIA VI.

RICH. BROKLESBYI *f*)

I. **M**itrona boni habitus, teneri ani-  
 mi, ingenioque pollens, ad bonam usque

ætatem semper sana, tandem ante sexennium subita siti affligi cœpit, quam brevi post tempore consecuta est corporis extenuatio cum insigni virium jactura, levi laterum dolore, & lumborum puncturis. Cum hæc biennium neglexisset, forte fortuna observavit urinam prorsus decolorem, sapore odoreque melleo, solito copiosius procedere. Haud ita multo post accessit cordis palpitatio (quam quidem jam per morbi etiam initia admodum sensit) ac molestæ variarum partium tensiones spasmodicæ. Obviam his ivit Bristolensis aquæ ad 10 hebdomadas potu, quo tempore semel quoque vena ei tusa, ac 3<sup>o</sup> quovis aut 4<sup>o</sup> die exigua Rhei dosis, duas tresve ultra solitum dejectiones movens, exhibita est. Unde usque adeo in melius profecit, ut sub finem temporis, quo ad fontem Bristolensem morabatur, sibi prorsus sanata videretur, donec paulo ante, quam inde decessit: ob itineris Londinum relegendi anxietates denuo in sitim, siccitatem linguæ, lotiique dulcis mictum revoluta esset.

2. Quam ob rem Bathonium se contulit, ubi Medicorum consilio fonticulo (in locum alterius fluxus aliquot ante annis omnino exsiccati) supra genu excitato, & aquis per 5 menses moderate haustis, interpositisque mercurialibus cathartics rursus emenda

data insolentem illam sitim jam rarius, nisi cum urina dulcescebat (Imo alias etiam), persensit; usque dum ob consanguinei mortem ac insuetam corporis delassationem viribus rursus collapsis palpitatione cordis & convulsivi totius corporis insultus (quamquam breves ii, ac inordinati) cum omnium artuum inertia eam invaserunt. Pulsus tum exploratus post 7. 8ve fortes ac plenas vibrationes dimidio harum tempore silebat, idque per complures ita dies, licet cum quadam temporum horum, queis pulsus percipiebatur siluitque, varietate, siquidem pulsus jam 5 jam 6. 7. 8. secundis deficientibus: atque longiora id genus temporum pulsus deficientis intervalla ingens subito excipiebat cordis palpitatione.

3. Præmissa itaque post scarificationem ac vesicans applicatum R<sup>ra</sup> sacra, dabantur quovis nycthemero Asæ fœtid. gr. xv. cum Cinnab. nativ. ʒ ʒ. Tertio curationis ac post scarificationem die pulsum inæqualitas major, ac principio, aderat, adeo ut 8 secundis nulla vibratio perciperetur, ac toto illo die tanta identidem ingruerat asphyxia, morti ut vicina matrona crederetur. Nihilo tamen secius sub religiosa in medendi methodo perseverantia haud diu post omnia sensim symptomata leniebantur, & adjecto ad quamlibet remediorum prius di-

dictorum dosim fl. ♂ gr. ꝑ intra 6 hebdomades pulsus evasit naturalis, ac valetudo eatenus revertit, ut ægra insequente æstate iter ad Southampton suscipere quiverit, ubi aquæ marinæ cum potu tum balneis usa, quamdiu ibi morata est, sanam se existimarat redditam.

4. Verum vix Londinum redux urinam iterum melleam cum anomalo pulsu aliquatenus experiri cœpit; quod utrumque tamen hisce remediis cessit:

℞ ♂ fl. Chamæm. gr. xxv.

Specier. aromat. gr. iij.

♂ rad. Rhei gr. ij. M. S. quotidie ter in haustu infus. Chamom. vel vini diluti, per hebdomadam. Porro per sex hebdomades usurpata mane ac vesperi seri lactis aluminosi (ex Alumin. gr. 15. ad 30 in lactis vaccini rec. s. q. coctis pro pinta j. conficienda) pinta ꝑ matrona convaluit.

f) Medicin. Bemerk. und Untersuch. einer Gesellsch. von Aerzten in London. 3 Band. N. 26. p. 232.

## HISTORIA VII.

HERM. GER. OOSTERDYCKII g).

I. Viro 52 annos nato, firmo robustoque corpore, multo semper musculari motui



assueto urina potu copiosior (ut videbatur) a 14 diebus procedebat, quo tempore et si perpetuam oris siccitatem cum aliqua virium imminutione perferret, nullo tamen uspiam dolore tenebatur. Causa morbi erat abdita, quod nec alius præcesserit morbus, nec ulla remediorum usurpatio aut rerum sex non naturalium excessus.

2. Interdictum proinde ægro omni copiosiore potu aquoso, ejusque in locum cerevisia meraca cum Momma, aut vinum rubrum, cui ante quoque moderate consuevit, est concessum, præscriptaque MR<sup>a</sup> condensans, adstringens, parum aluminosa. Imperata simul ad quantitatem lotii excreti cum copia potus intra idem tempus assumpti collati attentio.

3. Cum autem nihil hac medendi methodo profectum fuisset, imo æger 3<sup>o</sup> abhinc die intensiorem sitim majoremque virium jacturam quereretur, micturitione præsertim noctu vigente, MR<sup>ae</sup> dolis sub eadem diæta duplicata est.

4. Nihilo tamen minus cum æger hactenus domo egredi negotiaque sua procurare potuerit, 3<sup>o</sup> post die ob incrementem debilitatem lecto se tenuit. Pulsus utcunque fortis erat, haud febrilis tamen: urinæ copia increvit. Eapropter datæ pilulæ mucilaginosæ, roborantes, multum aluminosæ. Sub vesperam extra lectulum sedenti pulsus de-

bi-

bilior, vires magis dejectæ, sitis major; alacritas tamen & appetentia superfuit: alvus etsi spontanea erat, sicca tamen. Pularum in usu perseveratum.

5. Postero mane ad horam 10<sup>am</sup> vires iterum minores, fortior tamen, quam pridie vesperi, pulsus, sed febris, non item alacritas, abfuit. Lotii per nycthemerum missi copia sesquiquatuor lagenas exæquavit, dum potus vix ad 4 pocula minora ascendit. Præscriptum igitur conditum roborans, adstringens, sine alumine.

6. Ad horam usque 4<sup>am</sup> a meridie urina ad 2 lagenas collecta, licet de potu vix 3 pocula assumpta. In præsentī urina straminea etiamnum ac inodora depositum exhibuit in fundo pauxillum sabuli rubelli, tamen si nunquam ante nephriticam affectionem homo passus fuerit. Vires minuebantur magis. Ordinata est aqua Rosar. rubr. destillata cum pauxillo Liq. anod. HOFFM. pro vehiculo remedii prioris, ac præterea panni lanei aceto lithargyrii ac vino albo imbuti renum regioni appliciti. Interea ad horam usque 8<sup>am</sup> vespertinam debilitas in horas adeo manifesta incrementa capiebat, ut æger vesperi se se ad mictionem erigere nequiverit, pulsus tum celerior, minorque, vox debilior, & corpus sceleti in modum extenuatum.

7. Mane diei insequentis ad horam 9<sup>am</sup> pulsus admodum debiles, vox haud fecius, facies collapsa mortualis tanta cum amblyopia, vix ut adstantes noscerentur. Ocepit anxietas, semel singultus ingruit: appetentia tamen mansit. Præscriptum serum lactis aluminosum. Urinæ a 48 horis missæ quantitas (cum postremo tempore aliquatenus limpidior fuisset observata) ad 10 lagenas æstimabatur, potu non prorsus duas æquante. Abhinc vero homo, etsi sui compos, locium involuntarie reddidit, aliquoties singultivit, & 7<sup>mo</sup> post die, quam Medicum consuluit, ad horam meridiei primam obiit.

8) Samml. auserles. Abhandl. zum Gebrauch praktischer Aerzte 1 Band. 2 Stück p. 179.

## HISTORIA VIII.

A. FOTHERGILLII. b).

I. Vir 44 annor. ultra 5 menses noturnam enuresin diabeci cum siti valida, anorexia, siccitate cutis, calore hectico, emaciatione, ac celeri pulsu, complicatam passus, corticem Peruv. aliaque nonnulla remedia frustra expertus, post admotum demum vertebris lumborum ossique sacro largum vesicans, ulcusque linimento epispastico per 6. 7ve dies apertum servatum, Rheo simul cum ꝯ dulci ad alvum constipa-

patam solvendam exhibito, protinus ab enuresi est liberatus. At restitit diabetes, urina quovis nycthemero ad 6. 7. pintas Anglicas fluente, dum potus hoc tempore assumptus pintas 4 non excessit (utrumque enim quotidie ad bilanceam æstimabatur); imo plus etiam humido tempore mingebat æger, licet solito biberet parcius.

2. Idcirco quotidie Rhei ʒ β data, a qua semel leniter dejiciebat, ante noctem vero semper usurpatus bolus diaphoreticus e G. Gvajaco & Θ C. C. cum sero lactis calido; sed siccior inde cutis (nullo secuto sudore) plus calebat: donec tandem antimoniali diaphoretico exhibito cum usu pediluviorum temperatus sudor est motus. Cumque per aliquod tempus ter quotidie sumpsisset pro roborandis renibus feri lactis aluminosi p. l. ʒ jv. sine ullo fructu, hujus in locum dabatur ♂ rad. Tormentill. ʒ β cum haustu ℞<sup>ss</sup> Rosar. & mane ac vespere pergebatur in usu Rhei remediique antimoniali. Ab his lotii copia minui cœpit, tuncque simul cerevisiæ loco aqua calcis in potum præscripta. Ex hoc tempore omnia symptomata levabantur, vires & appetentia revertebantur, cutis humescebat, natus redibat color, ægerque sic pedetentim convaleuit,

b) Medic. Bemerk, und Untersuch. einer Gefellsch. von Aerzten in London I, c, n. 15. Casu 1, p. 120.

# AUCTORUM

## ELENCHUS IN VARIIS HUIUS COMMENTARII PARAGRAPHIS CITATORUM.

- |                                 |                             |
|---------------------------------|-----------------------------|
| <i>Acoluthus</i> §. 17. c)      | <i>Brendelius</i> §. 57.    |
| <i>Acrell</i> §. 33.            | <i>Brisban</i> §. 63. 65.   |
| <i>Act. Med. Berol.</i> §.      | <i>Broklesby</i> §. 59.     |
| 17. a)                          | 64. & <i>Histor.</i> 6.     |
| <i>Albertinus</i> §. 23.        | <i>Buchwald</i> §. 59.      |
| <i>Albinus B.</i> §. 31.        | 60. 66.                     |
| <i>Allen</i> §. 53.             | <i>Camerarius R. Hi-</i>    |
| <i>Amarus</i> §. 17. a).        | <i>stor.</i> 2.             |
| d). 59. 64. n. 4.               | <i>Celsus</i> §. 4. 58.     |
| <i>Annal. Wratisl.</i> §.       | 71. 72.                     |
| 7. a). 23. 24.                  | <i>Cohausen</i> §. 15.      |
| <i>Andree</i> §. 31.            | (n. 13.) 32 n. 4.           |
| <i>Aretæus</i> §. 4. 6. 8. 9.   | <i>Colbatch</i> §. 31.      |
| 14. 36.                         | <i>Conringius</i> §. 38.    |
| <i>Argentus</i> §. 57.          | n. 4.                       |
| <i>Bachetonus</i> §. 3.         | <i>Consentin</i> §. 31.     |
| <i>Baglivus</i> §. 59. 64.      | <i>Craanen</i> §. 31.       |
| <i>Baltonius</i> §. 20. 24.     | <i>Cuñenus</i> §. 64. n. 1. |
| 52.                             | <i>Daniel</i> §. 7. a).     |
| <i>Barati</i> §. 7. c).         | <i>Detbarding</i> §. 64     |
| <i>Barry</i> §. 42.             | n. 2.                       |
| <i>Bartholin. Tb.</i> §. 3.     | <i>Diemerbræck</i> §. 31.   |
| 4. 20 21. 31.                   | <i>Dispens. pharui.</i>     |
| <i>Byträge Cassel.</i> §. 63.   | <i>Wien.</i> §. 69.         |
| <i>Binninger</i> §. 53.         | <i>Dodonæus</i> §. 8. 50.   |
| <i>Blegny</i> §. 53.            | <i>Dolæus</i> §. 7. c).     |
| <i>Boerhaave</i> §. 3. (n. 1)   | 37. n. 4.                   |
| 16 35. 53.                      | <i>Donatus M.</i> §. 33.    |
| <i>Borrichius</i> §. 4. 51. 53. | n. 2.                       |

- Dover §. 64. n. 4.      Iouber §. 14.  
 Duretus §. 18.      Iuncker §. 21.  
 Epiphanius §. 57.      Kratzenstein §. 21.  
 Ettmüller §. 3. 57.      33.  
     60. 64. n. 3.      Lanzone §. 24.  
 Fernellius §. 7. a). 14.      64. n. 3.  
 Forestus §. 4. 9. 15.      Lebenwaldt §. 16.  
     (n. 9. . 23.      Lister §. 7. b) 17.  
 Fotbergill Hist. 8.      a) b) c). 41.  
 Fürstenau §. 27. b).      Livizanus §. 7. c).  
     & Hist. 4.      Lommius §. 15.  
 Galenus §. 3. 4. 47.      (n 9). 49.  
 Gatinaria §. 7. c).      Lossius §. 16.  
 Geoffroy §. 60.      Lotichius §. 28.  
 Gerbez §. 17. c).      Marcus §. 36. 40.  
 Giles §. 27. a).      42.  
 Gockelius §. 17. c).      Marherr §. 39.  
 Gæritz §. 26.      Marlianus §. 43.  
 Grimm §. 16. 67.      Mead §. 38. 64. n.  
 Haller §. 7. c). 30.      4. 5.  
     sqg 43. n. 3.      Medicus §. 43.  
 Harris §. 59. 64. n. 5.      Metz §. 7. c). 21.  
 Hertod §. 64. n. 3.      63.  
 Hildanus §. 3. 17.      Michellottus §. 71.  
     b). 59.      Moegling. §. 5c.  
 Hippocrates n. 31.      Mælenbroccius §.  
 Hoffmann Cusp. §. 3.      46 47.  
     n. 2.      Morgagni §. 7. c).  
 Hoffmann Fr. §. 25.      32. (n. 4.) 33. &  
     27. a). 32.      Hi? 5.  
 Hollerius §. 23. 49.      Morgan §. 65.  
 Hottinger §. 51.      Morinus §. 31.  
 Hundertmark §. 46.      Morion §. 23. 59.  
 Hunerwolf §. 17. c).      72. n. 1.

- Moyſes Rabbi* §. 16. *Storch* §. 23. 51. 2. 9  
*Mundinus* §. 7. c). *Swieten* §. 47. c). 4. 7.  
*Nebelius* §. 23. 72. n. 1. 2. 3. 4.  
*Neiſfeld* §. 24. *Sydenham* §. 21.  
*Niloe* §. 31. 23. 66.  
*Paracelfus* §. 36. *Sylvius* §. 64.  
*Paschalis* §. 17. c). *Theodoſius* § 7 d).  
*Paullini* §. 17. c). *Timæus* §. 3. (n. 2.)  
*Pawius* §. 8. 18. 45.  
*Piſo N.* §. 36. *Tralles* §. 60.  
*Platerus* §. 47. *Trincavellius* §. 3.  
*Portal* §. 45. 22.  
*Riedlinus* §. 17 d). 69. *Trioen* §. 8.  
*Riverius* §. 57. 60. *Trumpbius* §. 17.  
64. n. 3. c). 22.  
*Rubeus* §. 53. n. 3. *Tulpinus* §. 17 a).  
*Rulandus* §. 64. n. 3. 18.  
*Ruyſchius* §. 19. *Vidus Vidius* §. 23.  
*Salmuth* §. 23. *Weber* §. 24.  
*Sauwages* §. 7. d). *Wedelius G.* §. 17.  
*Scaramuccius* §. 23. c).  
*Schacht* §. 3. 4 36. 49. *Whytt* §. 7. a). 11.  
51. 67. 68. & *Hiſt.* 7. 24. 43. e). 60.  
*Schmid* §. 17. d). 61. 69. 70.  
*Schbræck L.* §. 46. *Williſius* § 7. b).  
*Schuchmann* *Hiſt.* 3. 17. a). 21. 23.  
*Scrib. Largus* §. 7. c). 36. 65. & *hiſt.* 1.  
*Serac* §. 23. *Winslow B.* §. 31.  
*Servius* §. 7. c). *Wintringham* §.  
*Silvaticus* §. 3. 8. 20. 38. 57. 64. n. 5.  
27. b). 33. *Wratſl. morb. hiſt.*  
*Stæller* §. 3. (n. 2). §. 3 (n. 2) 41.  
46. 63. *Zacutus Luſ.* §.  
57. 71.